# APOLOGIA MUSICES TAM VOCALIS QUAM INSTRUMENTALIS ET MIXTÆ.

Psallite Deo nostro psallite: Psallite [illegible]
Psallite. Psal. 46. Vers. [illegible]

David & universus Israel ludebant [illegible]
ni virtute, in Canticis, & in [illegible]
terijs, & Tympanis, & Cymbalis, [illegible]
Lib. Paralip. 1. Cap. 13.

Matutinis Vespertinisq; hymnis Ecclesiæ [illegible]
tur Deus. Hieron. in Psal. 64.

Adducor cantandi cõsuetudinem approbare in ec-
clesia, vt per oblectamenta aurium, [illegible]
animus in affectum pietatis assurgat. S. August.
Confess. Lib. 10. Cap. 33.

*OXONIÆ,*
Excudebat Iosephus Barnesius.
Anno. [illegible]

[illegible] Dauid [illegible] cantant coram Deo, [illegible] tus Psalmis, & Hym[illegible] [illegible] Cymbalis, & Tibiis [illegible]
[illegible] Paral. [illegible] Cap. 15.

[illegible] in [illegible] Ecclesiae delecta- [illegible] Hieron. in Psal. 64.

A [illegible] consuetudinem approbare in ec- [illegible] oblectamenta aurium, infirmior [illegible] S. August. [illegible] Lib. 10. Cap. 33.

# VIRIS ORNATISSIMIS HENRICO VNTONO ET GVILIELMO HATTONO

*Equestri ordine insignitis*

Io. Ca.

*S. P. D.*



Rauioribus non ita pridem intē tus studijs (ornatissimi viri) in solitudinem me ad tempus contuli, in qua versatus paululum, non vt solus quamuis solus cœlesti quadam harmoniâ consopitus, in somnum incidi. Nymphas certè aut musas cecinisse credo, sed ecce per somnum mihi duo apparuerunt fratres regij vt Aeteocles & Polynices accerrimè de regno & possessione sceptri decertantes, mę iudicem litis quærunt, recuso, alios petunt: vos duos (illustrissimi Vntone & Hattone) nomino, electio placet, ab initio narratur causa, euanuerūt, quid moror? Res sic se habet. Sonus rex ille harmoniæ duas vxores habuit, nempe Gram-

maticam, ex qua Accentum, & Nympham Musicam, ex qua Concentũ genuit. Primus ille natu, nimirum Accentus, grauis fuit & eloquens, sed austerus & minus dilectus populo, minor vero natu scilicet Concentus, formâ amabilis, voce dulcis, affabilis sermone, consortio gratus & iucundus extitit; horum iam pater senex moritur, suumque regnum vtrique vt Misypsa suis dedit. [Saluſt de bello Iugur.] Stomachatur maior, partem regni negat, sibi totum iure vt prior natu & heres vendicat, senatus cogitur, conuocantur Musici, Poetæ, oratores, Philosophi, sanctiq; etiam Antistites & Theologi: hij omnes suadent vt deposito fraterno odio æquam vterque partem imperij teneant. Accentus quasi Ferrex Britannus furit, iubetque vt frater Concentus cum sua matre Musica à senatu, foro, theatro, templo, tanquam capitalis hostis, arceatur: at frater fauore [Polyd. Virg. in Chr.] populi causęque ęquitate fretus certamen, cum fratre postulat, fama statim sonabat tubam, armati in campum prosiliunt fratres, pugnatur; sed neuter Ioue fauente cadit, ambo nunc vsque defatigati pugna, à campo in eremum veniunt, vterque cum matre apparẽt mihi, iudices & moderatores

quærunt


quærunt: vos nomino, vestram statim sententiam postulant, cui vt decretum est perpetuo acquiescent. Accepistis (dignissimi equites) rem totam vt est, iudicate; fratres sunt, dissidium oritur, quæstio iam est, an Concentus cum dulcissima sua matre Musica à ciuitate, ab aula regia, à foro, à templo exularet. Absit à meis dictis præiudicium, si mea tamen rogetur opinio, defendo hoc fieri non debere. Musica enim est regina etsi nunc vidua, Concentus est regis filius etsi nunc orbus patre: paterna voluntas fuit, vt regerent, authoritas fraterna tanta ergo non esset, vt exularent. Indigna sanè res est vt filius matrem, vt frater fratrem in exilium pellat, imò res indignissima est eam matrem, quam deus diligit, illum fratrem, quem mundus tam diu coluit in exilium relegari. Appello ad te (nobilissime Vnotone) cuius pater (quem honoris causâ nomino) musicę &. concentus numina in vita, in morte adorauit. Ad te etiã appello (illustrissime Hattone) cuius iã adhuc viuus (& ô diu viuat) pater musicam & concentum vt viduam & orphanum suscipit ac tuetur, vos (inquam) aureum par, quorum vterque accentum sic enuntiat, vt nemo politius,

 musicam

musicam & concentum sic sapit vt altero non multi, altero vix aliquis peritiùs: vos iterum dico iudicate. Et certè causa non est cur dubitetis, nam musicam atque concentum deus & natura, cœlum, terra, omnisque constitutio, motus & ordo rerum vobis ab origine mundi commendarunt: est enim in omnibus dei & naturæ effectis quidam concentus, est quædam harmonia: confidentiùs ergo hanc apologiam matris & filij, hoc est musices & concentus scripsi, quam vobis rudi mineruâ scriptam electis arbitris repræsento: si digna sit luce eandem quæso adhuc infantem alite, sin minus cõprobetis, eandem vt abortiuam in ipsis cunabulis suffocate. Valete ab ædibus nostris vltimo Nouembris, 1588.

*Dignitati vestræ addictissimus,*

I. C.



# MVSICES ENCOMION, & origo.

## CAP. I.



VSICA, de qua in præsenti oratione instituo, deum patrē, matrē naturā habet; quippe in ea quiddā diuinum inest, quo mēs, imago dei, mirificè delectatur. Est etiā physicū & naturale quiddā, quo non solum aures hominum, sed etiam rerum omniū veluti sensus, suprà quàm dici aut cogitari potest, demulcentur. Tametsi ergo veterum scriptorum alij Ioui, vt Diodorus Siculus; alij Apollini, vt Homerus; alij Mercurio, vt Heraclides; alij Pythagoræ, vt Boëtius; alij Tubalcani vt Moses, alij huic, alij illi deorum, inuentionem musices ascripserunt. Nos tamen in veri Apollinis, id est sapientis & æterni Dei dextrà tres Gratias cum musicis organis & instrumentis pingimus, adeoq; ipsam musicam Dei & naturæ filiam sine omni incestu & labe genitam, rebus tam diuinis quàm humanis non sine incredibili prouidentiâ concessam ab initio fuisse demonstramus.

Plut. de placit. philos. Plat. in Timæo. Cic. Tusc. q. lib. 1.

Plat. in Phædone. Macr. Ficin in Plat. pol. lib. 3.

Boetius lib. 1.

Plut. de placit. philos. Plat. in Phædone. Cic. Tusc. q. lib. 1.

Plat. in Phędone. Mars. Ficin. in Plat. pol. lib. 3.

demonstremus. Nam si in vi, numero, motu, ordine, figura, pulchritudine, si (inquã) in tota essentia (vt ita loquar) rerum sit dulcis concentus, vt Pythagoras, vnio & harmonia, vt Plato dixit: nemo mortalium est qui musicam (quæ naturalem hunc mundi concentum docet) à mortali aliquo originem traxisse somniet. Hinc sapientissimi ipsi Philosophi mentem humanam à prima causa & musica ortam, musicà in hac mortali via & vita mirificè captam, tandem ad primam causam & musicam reductam perfici & beari crediderunt. Et sanè credibile hoc est, cum aut delinquentes animo, aut morientes dulcissimam se audisse musicam constantèr affirment, vt qui cum astantium motu, voce, vlulatu ad vitam, sensum, vocem reuocantur, sæpè succenseant nimium, suumq; à tanta animi quiete & internorum sensuum delectatione, in vitam miseram reditum plurimùm deplorent: quod sanè non fieret, si consopitis externis sensibus animus cœlestem musicam, (à qua ortum traxit), in prima causa non perciperet. Magna & mira quidem vis hæc musices est, quam aliarum artium nulla habet, attingit nulla. Poetarum fabulas de Amphione, Orpheo, Arione, alijsq; sexcentis hic non adducimus, qui feras mouisse, infernas furias leniisse, lapides & syluas

ſyluas vi muſices traxiſſe finguntur: verùm ſolū hoc loco ( quod eſt philoſophantium ) quærimus. vera autem hæc ſunt, quòd muſica à Deo orta motibus cæleſtium corporum inſita, rebus ſingulis & effectis naturæ ſecundùm [illegible]nam prouidentiam infuſa, ab hominibus imitatione quadā vocalis ac inſtrumentalis (vt aiunt) facta, à maioribus honorificè ſuſcepta, arte, vſu, experientiâ perpolita, non aliter quàm influentia cœleſtis, audientium affectus, intentiones, geſtus, motus, actiones, mores, impetu ſuo flectit & immutat, ſubitoq́; ad ſuas quaſi vires & proprietates vertit; & ſanè hoc mirum non eſſet, ſi ſolùm homines moueret muſica. Sed (vt ait Agrippa) beſtiæ, ſerpentes, volucres auditu muſices delectantur, quippè alliciuntur aues cantu, fiſtulis capiuntur ceruus, modulis Elephāti & Delphines permouentur: mirū, & tamē verum eſt quod dico, piſces in ſtagno Alexandriæ concentu muſico detinentur; obſtupendum eſt, & tamen certiſſimum quod adeò ipſa ſurda & ſtupida elementa inſtinctu muſico perfuſa gaudent. Teſtatur enim Marcus Varro, in Lydia ſe vidiſſe inſulas, quæ ad cantū tibiarum à continenti in ſtagnum proſilientes, ad gyrum veluti mota ſaltant, at ceſſante muſicâ ad littora reuertuntur. Sed mirabiliora etiam iſtis narro, & tamē nota, in Attico littore ipſum mare

Agrippa de occul. Phil. lib. 2. cap. 26.
Plat. in Symp.
Strabo.

Muſicæ miracula.

cytharam & harmoniam sonat: Megaris, saxum quoddam ad singulos ictus dulcissimum concentum edit. Quid? An ficta, an commentitia hæc esse ais? Aut mendax est fama & sermo populi, aut Wintonij in celebriori illo templo, velusi chorus suauissimè concinentium sine voce humana, at non sine admiratione magna per multos annos exauditus fuit: fingunt egregiè & mētiuntur nonnulli, si ad sepulchrum nobilis cuiusdam in Scotia non multis hinc annis defuncti, cœlestis dicam an terrestris? certè lugubris quædam musica non audiatur. Si ergò Deus, si natura, si cælestia corpora, si elementa, si homines, aues, serpentes, pisces; si lapides in templis, si spiritus in sepulchris cantent, sonoq́; musico permulceantur; iniqui, iniusti, iniuriosi deo, nobis, naturæ sumus; si à cœlo, à templo, à foro, si à publico & priuato vsu hominum eandem vt prophanam & spuriam scientiam exterminemus. Quid enim iniustius? Quid iniquius? Quam illam artem spuriam & prophanam existimare, quæ iustitiæ Conseruatrix, temperantiæ custos, moderatrix morum, religionis fomes & flamma dicitur: iustitiam conseruat (vt ait Plato) nam à modis harmoniæ dependent status ciuitatis: quid addam plura? Castos, honestos, religiosos facit vt docet Aristoteles.

Lib. de leg.
Lib. 8. pol.

Dic

Dic ergo mihi Antea, aio mihi Myda, qui equorum hinnitu & rustico stridore magis quàm Apollinis musa aures animosq; vestras moueri dicitis, quid vos offendit musica? Eandem fortasse vt lenociniorum clientulam accusatis; at Agamemnon Clytemnestræ vt pudicitiæ custodem iunxit: vt mendicantium vectigal fortassè aspernamini, at ex dijs Apollo, Mercurius, Minerua, ex heroïbus Hercules, Achilles, Alexander, ex imperatoribus Epaminondas, Themistocles Augustus; ex Philosophis, Socrates, Solon, Plato eandem vt suæ vel diuinitatis vel nobilitatis vel grauitatis ornamentum coluerunt: verùm vt morum corruptricem demùm reijcitis, at Aristoteles & Plato eandem pueris & adolescentibus vt virtutis magistram audiendam proposuerunt; cæterùm vt rerumpu. pestem execramini; at Homerus Græcis; Solon Lacedæmonijs, Ismenias valetudinarijs vt pestis medicinam eandem applicuit: Postremò vt sanctis legibus reiectam eleuatis: at Lycurgus Lacedæmoni, Minos Cretæ, Pan Arcadiæ vt retinendam si adsit, si absit reuocandam præcepit & promulgauit, at ipse Plato princeps philosophorum (semper excipio Aristotelem) negat mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Quid multis moror? Si authorem spectes, quæsti-

deus;

Plut. in Lacon. apoph. Ouid. Metam.

Atheneus

Arist Pol. lib. 8. Plato in Protag. & Pol. 3. & 7. de legib. Plut. in Lacon. Polyb. lib. 4. Ælian. var. hist. lib. 2.

Cic. lib. 2. de leg.

deum; si nutricem quæ est vniuersa natura; si instrumentum, quod est totius mundi machina; si subiectum artis, quod est harmonia; si medium, quod est vox humana; si finem, quæ est corporis quies, mentis cōtemplatio, moderatio affectuum, institutio morum, conseruatio virtutis, expiatio sceleris, dulcis deniq; omnium in prima causa vnio & beatitudo: Proculdubiò vt apud seculum prius, in pace lauream, in bello palmam, in otio amorem, honorem in negotio, in vrbe pretium, in agro præmium, in templo vsum, in omni loco & sede laudem iure suo musica vendicabit.

## QVID MVSICA ET QVOtuplex sit.

## CAP. II.

Boet de music. l. 1. cap. 1. Musicæ prior definitio.



VSICA naturæ filia, morum magistra, animorū domina & moderatrix (quam diuinam in sphæris, humanā in imis corporibus, organicam in instrumentis posuimus) non ineptè à Theophrasto definitur numerosa & harmonica rerum omnium in theatro totius mundi proportio

quā

*quâ motus, ordo, vires, natura, forma, quasi fides ac nerui suauiter inter se consonant, dulcia prima causa veluti ictu percussa, chorum cantumq; cœlestem fundunt. Est proportio, quia in numeris omnis concentus & symphonia constat; est rerum omnium, quia vt docent Pythagoras, Democritus & Plato, melodica in omnibus naturæ effectis siuè per se sumptis, siuè in compagine totius cum alijs coniunctis inest quedam modulatio & harmonia: nam apes suum bombitum, aues suum cantum, metalla suum sonum, elementa & cœli quodammodo suam vocem: at horum omnium coniunctio & chorus suum melos omni melle dulcius & delectabilius habet. Additur in hac definitione, quâ motus, ordo, vires, natura, forma, quasi fides ac nerui suauiter inter se consonant, vt in consensu rerum concentum: additur etiam, quòd dulci prima causa ictu veluti percussa, chorum cantumq; cœlestem fundunt, vt in vnione rerum omnium cum Deo, veluti in vario & multiplici motu ac proportione vocum cum basi, admirabilem rerum omnium symphoniam intelligas. Hoc pulchrè notat Philosophus in libro de mundo, nam ait: Quemadmodum rectore chori incipiente canere, aliarum continuò vocum tam grauium quam acutarum dulcissima modulatio sequitur: ita postquam primus motor veluti*

Arist. lib. de Mundo.

Arist. de Mund.

plectro

plectro suo cytharam naturæ tãgit, omnes nerui, organa ac instrumenta naturæ à primo mobili ad centrum mota suauissimum cantum & harmoniam non auribus sed mentibus subiectum edũt. Sed de hac re velim studiosus lector Agrippam consulat, qui secundo de occulta Philosophia musicam naturalem, cœlestem, humanam sapienter, acutè & copiosè describit, attendat velim quas voces planetis, quas elementis, quas hominibus, quas reliquis naturæ effectis & operibus dei vir doctus concinnet: tum certe meâ opinione intelliget, si contradicendi studio nimis non est neg-

Cic. in So. Scip.

mundi machinam, ordinem, motum, pulchritudinem, formam non sine musica constare posse. Nã etsi non audiat Pythagoricos sonos, etsi à cœlo intonantes voces, Apollinis lyras, tubas & instrumenta non percipiat, nimium quidem auribus inseruit, si nullum sonum, nullamq; harmoniã esse sine sensu putet. Nam vt in arcana mente Boëtij

Arist. de sens.

de musica scribentis sedet veluti multorum cancinentium chorus, & vt clausis oculis alijsq; externis sensibus sæpè intellectui obijciuntur species: ita quamuis ex corporibus dextrâ Dei perpetuo circumrotatis in aurem non imprimatur sonus: est tamen in animo eorum corporum sic motorum spirituumq; mouentium verissima modulatio & harmonia. Quod vero non audiatur

*Pythagoras eiusq́; alumni causas & rationes addunt vel quia organum est hebetius quàm vt pertingat, aut mediũ remotius quàm vt transeatur, vel obiectum excellentius quàm vt in sensum cadat. Quippe non est in nobis sensus hebetior quàm audiendi: Nili enim accolæ aquarum ex alto cadentium strepitu obsurdescunt: oculorũ acies facile perstringitur cum in solis radios fortiùs intenditur: mirum ergo non est si minùs immortalis harmonia mortalium aures & sensus feriat. Cæterum nunc satis de hac definitione ad aliam huic non penitus dissimilem accedo, nempe quòd musica sit scientia concentuum vi naturæ, vocis aut instrumenti inter se suauiter conspirantium, quæ ad Dei cultum vitæq́; humanæ solamen datur. Est scientia, quia certum subiectum habet, nempè harmoniam; certas proprietates nempè modulãdo animos mortalium allicere quô, impellere quomodo, flectere quando, tenere vbicunq́; velit, certas deniq́; demonstrationes, nempè à causis & effectis. Est quoque scientia concentuum, quia in numero, proportione, concordantia rerum, vocum & instrumentorum constat: vnde naturalis respectu rerum, vocalis respectu hominum, organica respectu instrumentorum dicitur. Quod in calce huius definitionis additur, scilicet, quæ ad Dei cultum vitæq́; humanæ sola-*

Musicæ 2. definitio.

Musica Naturalis, Vocalis, Organica.

*men*

men datur, ostendit musicam diuinam scientiam esse, quia à Deo fluxit, eandemq́ homini in hac vita concedi, quia illâ ad miserias deuorãdas quibus circumseptus est plurimum vbiq́ eget. Sed (vt hæc omnia in pauca conferã) Euclides sic definit. Musica est scientia peritè modulandi: hinc constat non omnes esse habendos musicos, qui vsu solùm sed qui vsu & arte canunt, fidesq́ & instrumenta pulsant. Diuiditur musica in theoricam, quæ mentem & contemplationem: practicã, quæ vocem, manum & actionem spectat. Iterum distributa est in diuinam, quæ intelligentias & sphæras: in humanam, quæ sonos & voces, in organicam, quæ fides, instrumenta & claues: in mixtam, quæ vocum & instrumentorum vires & concentus docet. Hæ duæ diuisiones sunt quidem generis in suas species: si vero accidentia & affectiones huius artis scire desideres; Practica illa musica quæ in voce & instrumento cernitur varia & multiplex haberi solet; alia enim est humilis & remissa, quæ Lydia, alia vehemens & incitata, quæ Phrygia; alia mediocris & media, quæ Dorica nominatur. Lydia pacem & otium, Phrygia Martem & bellum, Dorica mentem, deum & contemplationem subiectam habet. Agrippa & Boetius sunt de hac re consulendi, qui septem harmoniæ species ponunt nempe Phrygi-

Musicæ tertia definitio.

Musica Diuina, Humana, Organica, Mixta.

Agrip. Boet.

*am, Lydiam, Doriam; quibus in altiori gradu motuq́ modulandi addunt Hypophrygiam, quæ bellicum furorem, Hypolydiam quæ effœminatam animi molitiem, Hypodoricam denique & Mixolydiam, quæ extasim animi raptumque mentis defixæ in contemplationem rerum diuinarum gignunt: has species nunc septem musis, nunc septem planetis, nunc varijs humorum motibus, nunc partibus humanis, nunc numeris ac proportionibus vocum acutè & sapienter comparant: & quod obseruari velim, uterque ad gloriam & honorem Dei omnes hymnos & cantus omnesq́ artes & formas modulandi referunt. Verè enim musicus haberi debet, qui neruos & chordas suæ mentis ad Deum Rectorem chori & mundi flectit.*

Plut. in com. de Mus.

B



## QVOD MVSICA SIT VTI-
lis ad omne vitæ genus.

### CAP. III.



OTA vita humana posita est vel in opere, vnde mechanica: vel in ciuili actione, vnde politica; vel in contemplatione, vnde theorica & diuina dicitur: sub primo ordine agricolas, milites, artifices: sub secundo politiores ciues, nobiles, & senatores; sub tertio philosophos, academicos & sacerdotes comprehendimus. Nihil hîc agimus de viperis & locustis rerumpub. idest de vagis, mendicis & otiose viuentibus, qui nulli studio virtutis intenti, flores & fructus alienos deuorant; hoc enim genus hominum vt indignum luce, indignum vitâ, indignum ciuitate, omnium philosophorum calculis condemnatur. Cum ergo hoc loco musicam ad omne vitæ genus vtilem vel potius necessariam esse probamus, sub tribus illis prioribus vitæ gradibus solum homines corporis aut mentis studio reipub. in

Vita Mecanica Politica Theorico.

Otiosi.l.

qua viuunt) proficere conantes intelligimus. Liberalis enim huius scientiæ vsus liberis solum & ingenuis ciuibus ab Arist. conceditur: sed ordine de singulis agamus. In primo genere sunt agricolæ, milites, artifices, qui immensis laboribus, grauissimis vitæ periculis, magnis negotijs & operibus ciuitatis fracti, citò contabescerent, si nullo solatio vitæ recreati, ad rastrum, ad Martem, ad opus redire allicerentur: sed liberalior, sed iucundior, sed honestior nulla est recreatio quam quæ ex musica percipitur: est ergo musica ad primum genus hominum necessaria. Musica enim, vt docent Philosophi, fessa corporis membra reficit, spiritus attonitos viuaciores reddit, vires sepultas excitat, recreat viatores, præliatores erigit omnem denique laborantium dolorem & tædium minuit; hinc dicunt Arabes cantibus camelos onera grauiora portantes minùs defatigari: idem solamen sentiunt agricolæ & artifices, qui tempus & opus cantando fallunt. Iure hic quidem non possum culpare maiorum politicum institutum, qui bis terue in anno Tytero & Melebeo suam musicam concesserunt, non tamen eo vt solennes ferias & festa impuris cantibus prophanarent, sed vt Deo placatiùs ab operibus & curis liberi inseruirent, iocisq; honestis (quos parit musica) recreati ad

1. Agricolæ, milites artifices.

Theocrit. Idyl.

Virg. in Eclogis.

opera

*opera alacrius reuerterentur. Est enim musica laborantibus vt agris medicina, vt infirmis condimentum in mensa: nam sicut illa ægrotantes sanat, hoc debilem appetitum acuit: ita musica laboribus fractos & defessos iuuat, eosq; ad maiores labores deuorandos occultâ quadam vi & proprietate monet, vnde Poeta.*

Musica turbatas animas, ęgrumq; dolorem
Sola leuat, meritò diuumq; hominumque voluptas.
Qua sine nil iucundum animis, nec amabile quidquam, Hieron. Phaleti de laud. Mus.
Ad cujus numeros superi vertũtur & orbis.
Et cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaque tempora seruant.
Hac Phœbus Phœbique soror duce, & aurea cælo
Astra suos agitant constanti fœdere motus.

*Quid multis? in bello tubam Hector, in pace lyram Zeuxis, Policletus & Alcmeon postulant: id est totum hoc primum genus hominum, quod in agro, campo & vrbe viuit sine opportuna musica fœliciter non valet. De secundo genere vitæ quod est politicum, non est quod dubites, an mu-*

[illegible]â recreetur. Cum politiores ciues, nobiles & senatores, qui sphæris reipub. versandis sunt occupati, vt maiorem aliquando extasin motumq; animi sentiunt, ita dulciorem recreationem & solatium necessario postulant: & sane quamuis Cæsares, Catones, Decij lautiùs lætiusq; vulgo fortasse viuere videantur, cum tamen Atlantes sint rerumpub. magnis oneribus semper depressi, contrarijs motibus sæpe concussi, intolerabilis iniuria est, si illis musicam inuideamus. Dic mihi quare Appollo apud Homerum in Deorum conuiuio, Mercurius apud Ouidium in Argi fallacia, Pan apud Musæum in contentione cum Apolline, fidibus cecinisse dicitur. Dic mihi quare à Lino Hercules, Achilles à Chirone, Nobilis ve grandi cecinit cẽtaurus alumno Alexander à Timotheo, non modo libenter audijsse sed & laboriose didicisse artem musicam dicuntur, nonne hi omnes principes & proceres extiterunt? Et quorsum quæso dedicerunt musicam? Certè non alia de causa quam vt grauiore negotio ciuitatis oppressi, diuiniore medicina & solatio ad se quasi restituti viuerent. Qui ergo ad Philippi mensam & quadram sceleton mortisq; horrendam formam cum Ægyptijs, hoc est qui solũ tristia & lugubria viris politicis reipub. negotijs fractis & fessis proponunt: Stoici sunt & nimis

Nobiles & senatores.

Homer. Iliad. l. 1.
Metam. lib. 1.
Metam. lib. 11.
Sta. Achil. 2.
Homer Iliad. 2.
Horat Epo. Od. 13.

*mis Aristarcho similes, qui parum meminerunt Philippum esse hominem, qui etsi manè libenter illud audiat, Philippe memento quod sis mortalis, in mensa tamē honestè musicâ recreari potest, quia est mortalis. Rectè Homerus.*

Et chorus & cātus reddūt cōuiuia pulchra. Odyſ.1.

*Parum aut nihil hîc dicam de tertio genere in quo philosophi, academici, & sacerdotes collocantur; intolerabiliùs mihi insanire videntur, qui illis musicam & harmoniam negant, cùm illorum scientia, artes, & studia, ab ipsa musica* diuinæ musę *nominantur, quæ quidem musæ præter concentum & harmoniam loquuntur nihil. Vis vt hæc probem? Musica affectus coercere, diuitias contemnere, rerum mortalium curas excutere docet, sed hæc decent philosophos: Musica virtutum formas & ideas imprimit, mores honestos fingit, ad studia sapientiæ excitat, sed hæc decent academicos: Musica ad contemplationem primæ causæ erigit, mentem humanam à terra ad cœlum rapit, scoriam animi extergit, dispellit nubes, sed hæc decent sacerdotes: est ergo musica vtilis ad hoc tertium genus, in quo Philosophi, academici, & sacerdotes numerantur. At dices: hæc ficta sunt quæ in postremo hoc loco ascribis musicæ. Ima vera sunt, quod tum intellexris cum musicam ad contemplatiuam magis quam*

3. Philosophi, Academici sacerdotes.

Contemplatio primæ causæ.

*ad actiuam vitam valere, eiusdemq; vim magis internos sensus quam externos pulsare demonstremus.*

## VTRVM INTERNÆ ANIMI *vires & potentia musicis vocibus ac in-* strumentis magis quàm aliorum sen- *suum obiectu afficiantur?*

## CAP. IIII.



Arist. de sens.

*ETVS est illud: visum ad capessendam doctrinam (quæ est habitus animi) minùs valere quam auditũ, nam etsi visus sit omnium externorum sensuum acutissimus, spiritusquè animalis vinacissimus, in oculis tamen quoniam species, intentiones, ac phantasmata rerum, solum per aspectum, per aurem verò non species rerum, sed res ipsa in arcem ac arcam animi ingrediuntur; perspicuum est mentem voce longè aptius per aurem, quam ideò per oculum aut visum informari. Hinc verum est quod docet Philoso-*

*phus,*

phos, cæcos ab ortu sapientes nonnunquam fieri, at surdos nunquàm; hæc si vera sint, quis non videt internas animi vires & potentias musicis vocibus ac instrumentis longè magis quam aliorum sensuum obiectis affici & moueri? Si enim respectu auris sonis pulsata, oculus cæcutiat, quid de obtusis alijs sensibus eorumq; fallacibus obiectis putes? Sed perstringam singula, Rationes ergò 8 sunt quæ hanc rem de qua agimus certã & indubitatã reddunt, prima nempè à comparatione, secunda à proprietate, tertia à simili, quarta ab exemplo, quinta à similitudine, sexta ab effectis, septima à maiore, octaua à fine. A comparatione hoc modo. Internæ animæ vires ac potentiæ, multò magis rebus ipsis, quam ideis ac imaginibus rerum concitantur: sed voces musicæ & concentus in aere de nouo geniti; & in aurẽ per motũ aeris recepti non aliter quàm reipsa sunt deferuntur in mentem: animus ergo vocum ac instrumentorum impulsu vehementius quam aliorum sensuum obiectis permouetur. Ratio firma est, quoniàm alij sensus fugacibus rerum formis solùm affecti, colores quosdam incertos imaginesque fallaces rerum non res ipsas rationi ac intelligentiæ offerunt. Huic argumento si hanc vim addas, multò firmius erit, nempè quòd soni musici auidius ab animo quam reliquorum

Ratio prima.

Soni Musici auidius ab animo capiuntur.

rum

rum sensuum obiecta expetantur; nam vt ad dulciores cibos natura & appetitus: ita ad suauissimos sonos animi potentia & intellectus rapitur. Est enim vt posteà demonstrabitur, inter musicam & animam, inter musicam & mentem, magna & mira similitudo: quippè si non fallitur Arist. Est anima humana quædam dulcis harmonia. Sed ad secundam nunc rationem & argumentum venio, quod est à proprietate musices.

Ratio.2. Proprietas musices est diuino quodam impetu animi vires inuadere, easdemq; non alitèr quàm neruos & chordas lyræ aut alterius instrumenti, eodem quo editur motu & affectu pulsare: ratio est, quia ad numeros vocibus incitatus aer, atq; in principia sentiendi placide receptus, cordis ac mentis tum vitales tum animales spiritus, qui sunt vehicula animi, mouet: ipsumquè animum varijs affectibus pro ratione modulationis flectit, concutit & impellit. Nam alitèr quomodò Timotheus Milesius illè insignis musicus Alexandrum nunc ad furorem, nunc ad clementiam traheret? Quomodo Pythagoras, (vt fertur) luxuriosum adolescentem à libidine ad castam & honestam vitam musicâ duceret? Quomodo David furentem Saulem cytharâ reprimeret? Quomodo Ismenias Thebanus quamplurimos grauitèr ægrotantes curaret? quomodò deniq; alij

Suid.in Tim.

Ioseph. Antiq.Iud. lib.6.c.9.

pene

penè innumeri musicis sonorum modulis & concentibus alia multa obstupenda facerent, certè non video, nec olim (quos lego) Philosophi perspexerunt. Hinc in mente, vt ad tertium argumentū à causa veniam, causam huius insignis motus concitati in animo vi musices aliam non tradunt sapientes, quam quod harmonicus concentus ex mentis conceptu & imperioso quasi phantasiæ cordisq; affectu proficiscens, vna cum aere vi vocis fracto ac temperato aereum audientis spiritum (qui est animi & corporis vinculum) facilè penetret, audientisq; affectum nouo affectu impresso, phantasiam nouâ plantasiâ, animumq; totū quasi nouo ingresso animo moueat & afficiat: immò quod est mirum, verum tamen, cor ipsum sic cantus ingressus pulsat, & sic in penetralia mentis occultosq; recessus animi se insinuat, vt nouos humores corporis, nouos affectus mentis, nouos mores & actiones, totumq; hominem nouum sensim aliquando, nonnunquàm subitò formet & efficiat. Marsilius Ficinus pulchrè hanc rem declarat. Concentus inquit per aeream naturam in motu insitam corpus mouet, per agitatum aerem concitat spiritum (qui est aereum animæ & corporis vinculum) per affectum sic impressum afficit sensum animi, tandem per amicam quasi significationem, in ipsam men-

Ratio 3.

Marcilius Ficinus in

tem

tem agit, postremò per subtilioris aeris motum vehementius penetrans, conformem qualitatem & quasi consortem imprimit, mirâq; quadam voluptate perfundit naturam, non hanc simplicem animi solùm, sed etiam corporis illam naturalem, totumq; sibi rapit & vendicat iure hominem. Quòd vera hac sint, manifestè hinc constat, quia spiritus in corde & phantasia agitati (vt ait Cardanus) subsultantem in pectus aerem recipiunt, vnde sequuntur reliqui spiritus in alijs corporis partibus ac membris positi, nunc mouentes fibras, neruos, musculos; nunc cohibentes, prout lex vocum & numerorum vel crebrescit incitationibus, vel tenore composito quiescens tardiorem motum imitatur; vndè contingit vocibus ac instrumentis magis perturbari intus hominē, eumq; ad alias actiones quam quæ in auditus sunt potestate auocari, puta ad misericordiam, cadem, venerem, ignauiam, furorem, tranquillitatē, aliasq; infinitas passiones, quas gignit, alit, mouetq; harmonia. Si enim tonitru cœli, violento motu aeris cor tremulum humanum reddat, da causam cur cantu leniter pulsante aerē, animus suauissimè nō delectetur. Iam si par & æqua fiat comparatio, in nullis aliorum sensuum obiectis tanta inest vis & influentia, sic color oculum sic calor tactū, sic sapor gustū, sic odor olfactū non

Card. de Variet.

afficit,

afficit, sic istorum species phantasiam non mouēt, sic animum non afficiunt, tale enim in illis deest vehiculum, simile deest medium, tanta in illis cum animo non est proportio, talis non est sympathia & similitudo: quod iam in quarta ratione, quæ est à simili demonstrabo. Anima humana (vt antea ostendimus) est nihil aliud quā dulcis quædam harmonia: propter similitudinem ergò & sympathiam musicis vocibus ac instrumentis magis quàm aliorum sensuum phantasmatis atq; vmbris efferuescit, emollescit, & mouetur anima. Quid? An magneti vim attrahendi ferrum? An linguæ canis herbis & plantis sanandi modum, an eloquentiæ mouendi artem concedis? Et musicæ (quæ est morum & affectuum domina) animam flectendi viam & habenam negas? Non est certè quod neges: nam quemadmodum in fidibus tactâ chordâ quapiam, æquè tensa alterius instrumenti chorda propter sympathiam tremula moueri cernitur, tametsi non tangitur: ita sonis musicis aerem auremq; dulciter pulsantibus, nerui internorum sensuum tanquam fides & chordæ alterius cythara æqualiter tensæ mouentur quidem, & iisdem sic pulsatis consortibusq; factis, mens ipsa (quantumuis diuina est) mirum in modum delectatur. Si vlteriorem causam quæras, hæc est, quoniam qualis est affectus

Ratio quarta.

Anima harmonia.

Ef-
fectus cantantis motusq́; aeris deferentis
affectum, talis est affectio mentis motusq́; animi
recipientis sonum. Quemadmodum ergò orato-
tores in senatu, in foro, varijs effectibus æstuan-
tes, eosdem, quibus ipsi exardescunt, affectus in
animos astantium imprimunt: ita periti can-
tatores in templo si placet hymnos, in nup-
tijs hymeneos psallentes, ijsdem quibus ipsi
afficiuntur motibus, alios percellunt; &
afficiunt: oculus fascinat animum sæpè aspectu
veneris, dic ergo causam cur auris bene sonan-
tibus cymbalis, vocibus, organis & psalterijs
multò magis non moueat. Quinta ratio ab ex-
Ratio. 5. emplis ducitur, quæ sic se habet; Aues & feræ
magis cantibus quam aliorum sensuum obiectis
capiuntur, milites in bello, laborantes in via, va-
gientes infantuli in nutricis amplexu, ægrotan-
tes, grauiter defessi, impij, melancholici, tristes,
insani, melodicis numeris, vocibus ac instrumen-
tis flectuntur, cum alijs speciebus & ideis sen-
suum (sint illæ quidem amæniores) tangi aut mo-
ueri non possint: est ergo longe maior in musica
impressa animo vis mouendi hominem, quàm in
alijs quibuscunq; vmbris & formis rerum, quæ
solùm fucatis imaginibus tingunt non tangunt
mentem. Si historias ad hanc rem probandam de-
sideres, passim & vbique leges quod musica A-

lexandrum

*lexădrum ad arma modo cōcitatiori prouocarit, ab armis remissiori & molliori retraxerit; quod Taurominitanum iuuenem ad ædes meretricis inflammandas incitarit Phrygio: à comburendis ædibus spondeo retraxerit, quod in Achille ferociam, furorem in Hercule, in Clytemnestra mollem animi libidinem compresserit. Quid moror? nō perijsset solū vnus aliquis sed tota Græcorum acies, nisi Homerus peste laborantibus salutarem musices medicinam adhibuisset: concidissent Spartiatæ, nisi in pace Terpandrus morbo affectis in bello Tyrteus in fugam coniectis, ille salutem pristinam, hic consternatis animos reddidisset. Hæc & similia herbis non fecit Hippocrates, hæc & similia in suis tabulis non fecit Apelles: emphatica ergò magis & efficatior est musices influentia quam fucosa aliorum sensuum obiecta, imagines, & simulachra. Hæc quidem quæ adduximus, cuiuis si non sit musica & ab omni suauitate alienus sufficerent, addam tamen argumenta quæ sequuntur ab effectis & fine. Ab effectis quia musica nos lætari bonis & dolere contrarijs docet. Ægisthus adulter ille Clytēnestrâ nō priùs potitus fuit quā Cythardus relictus illi custos, confossus perijt, istiusmodi verò effecta ex reliquis sensibus nullus omnino parit: plus ergo musica quam alia obiecta sensuum in-*

Plut. de Muſ.

Cicero in trag.

Agrippa de occulta Phil. l. 1.

Ratio. 6.

Leonardus Vaieus de faſcino. l. 2. cap. 11.

*ternas*

Ratio septima.

*ternas animi vires & potentias mouet. A maiore ratio infirma non est, nam ideo contemptores musicæ non homines sed asini vt Midas, non homines sed lapides vt Anteas Scythicus ille, dicuntur: quia si musicâ (insigni animi obiecto) moueri nõ possunt, argumento est, nullis aliorum sensuum obiectis aliter quam asinos, quam lapides permoueri; quasi diceres, musica efficacissima cõcitatrix animi, quosdã Aristarchos non mouet: multò ergo minus phantasmata aliorum sensuum mouere possunt. Postrema ratio est à fine, quia anima* idcirco (*vt ait. Macrobius*) in hac vita musicis tonis vltra modũ capitur, quia in corpus defert memoriam musicæ, cuius cõscia in cælo fuit, composq; post diuortium suum à corpore futura est. *Hic enim finis est musices (maxime vero Dorica) in hac vita, vt sicut spiritus spiritui per species non linguas, per formas non voces loquitur: ita Musica animo per varios motus & sonos aeris, multa arcana futura ac cœlestis harmoniæ (vnde suscepta est) effatur. Cogita tecũ homo in quo est sensus & sapor philosophiæ, si ouis (simplex animal) viso lupo odium concipiat, quod est aliud à specie lupi quem videt; si visa matre, amorem, quæ res alia est à forma matris quàm phantasia percipit; dic mihi an homo omnium animalium perfectis-*

Ratio octaua.
Lib.2.in Som.Scip cap.3.

ſimus audito concentu ſonū & concentū ſolùm percipiet? minime vera, ſed & alijs formis diuini amoris elicitis & cōceptis in perpetuum ſæpè De[i] rerumq́; diuinarū ſtudium & amorem rapitur; ſic menti vera harmonia loquitur, ſic intus mentem docet: ſed de hoc theorico vſu muſices nunc proximè dicemus.

## THEORICA ET CONTEMplatiua vita magis quam practica & actiua arte Muſicā indiget.

### CAP. V.



TYLO Cenſorio hodie à multis perſtringuntur illi, qui adorantium deuotionem & contemplantium ſtudium, nonnihil valere muſicam perſuaſerunt. Male etiā & hi à Stoicis iſtius ætatis audiūt, qui eiuſdē in Eccleſia Chriſti vſum diuinum, conantur demonſtrare; rogatus meipſum philoſophia ſolùm ſpacijs & limitibus in hac epitome concluſi mea, alter, ex ſacris oraculis ſanctisq́; patribus multa adducerem te-

Tubal. stimonia, multa argumenta, quæ olim Tubal & patriarchæ si tempus naturæ, rex Dauid & Propheta si tempus legis, Christus & Apostoli si tempus gratiæ spectes approbarunt: nam Tubal instrumenta musica inuenit, Dauid cytharam peritissimè pulsauit, Christus & Apostoli post sacram cœnam ante ascensum in montem hymnum (vt Matthæus scribit) cecinerunt: hinc Apostolos, qui passim in suis epistolis ad sacrum vsum musices hortantur, secuti sunt apostolici viri (renascentis ecclesiæ patres) qui vt in annalibus ecclesiæ constat, maximi in suis vbiq; cætibus musicam tam vocalem quàm instrumentalem æstimarunt. Quod hinc liquidò patet, nam Plinius secundus in epistola ad Traianum scribens de Christianis sic ait. Hæc fuit summa vel culpæ vel erroris eorũ quòd essent soliti ante lucem conuenire, carmenq; Christo suo quasi Deo canere non possum hic testimonium Eusebij tacitus omittere qui à Christo diuinam cantandi consuetudinem in Ecclesia deducere videtur: nam inquit Christi exemplo inoleuit (scilicet cantus) qui post cœnam hymnum dixit. Vincam si addam D. Ignatium Diui Iohannis Apostoli Discipulum tertiumq; post Diuum Petrum Antiochenæ ecclesiæ episcopum, qui audiuit choros Angelorum antiphonas sanctæ trinitatis decantan-

Dauid. Christus Gen 4. 2. Reg. Cap. 26. Ver. 30. Iacob. Cap 5. 13. Paulus ad Col. Cap. 3. ver. 9. Ephes. Cap. 5. Vers. 19. Euseb. l. 3. cap. 32.

rum aliarum, ideoq́; instituit inter Psalmos easdem decantari. Possum hic etiam (vt non solùm de vocali sed etiam de organica & instrumentali musica agam) introducere & nominare doctissimum Vitalianum pontificem Romanum, qui annis hinc circiter noningenta cantũ vocalem scientissimè composuit & cum organis harmonicè in ecclesia consonare docuit. In fasciculo temporũ & Platina in vita Vitaliani plura leges. Sed quid ago? Hanc rem primùm à difficultate theorica vita demonstrabo, quæ vita est vel incohoata in hac via, vel perfecta in cœlo; illa quasi herbescens florem, hæc fructũ beatæ vitæ habet, illa tenuis & infirma velut planta in altum crescens multis & magnis procellis subiecta est: opus ergo habet subsidio, quo aduersus tẽpestates mundi sustẽtetur. Ne ergo Demas tædio susceptæ contemplationis ictus se à Deo, à Christo, à religione ad mundi nugamẽta vertat, diuino musices instinctu opus est, quo ab hoc lubrico casu & periculoso relapsu auocetur, diuino musices instinctu dico, quia hæc vita tota in concẽtu musico (vt ait Plato) cõstituta est, ipsaq́; contẽplatio mẽtis est nihil aliud quã cœlestis quædam modulatio. Quò ergo difficilior est via virtutis, quæ in contemplatione ponitur, eò dulciore eget comite (qui est quasi vehiculum

Vita Theorica Inchoata perfecta.

Plato lib. .de Repu.

in via) quo recreetur: at musica dulcissima comes est, quia omne tædium arctissimæ ac difficillimæ huius viæ tollit, ipsumq́; viatorem vepribus ac spinis huius mundi vulneratum, mille periculis obiectum, infinitis fortunæ miserijs confossum, mente tamen in Deum fixa veluti lætantem & triumphantem mouet. Musica enim vmbras vanitatis, voluptatis tædas, tricas fortunæ, miserias mundi, obliuisci docet: est ergo musica orantibus necessaria. Hoc ipsum, si non fallor, naturalis etiam causa confirmari potest, quippe harmonia illa Dorica menti in contemplatione fixa, diuina mysteria & arcana loquitur, necnon pulsatis internis potentijs (veluti curru ignito Eliam in cœlum) deuotum hominem ad Deum rapit, sonus enim externus aerem, aer aurem, auris communem sensum & phantasiam, phantasia mentem in arce sua sedentem mouet: si ergo sonus sit suauis, vnà mentis chordæ dulcissimum concentum fundunt. Nam ex graui dulciq́; motu aeris percepto, alias dulcedinis species elicit, quibus instructa, sibi & Deo, verè contemplantium mysticum illud Alleluia canit. Hoc posito, considera mecum quæso, quanta esset in deuotione contemplatium defectio, si illis deesset hæc mirabilis vis musices & incitatio. Tertium argumentum ab authoritate cum ratione coniuncta ducitur.

4. Reg. 2.

Mysticum Allelu.

ducitur. Macrobius scribit quod ideo gentiles in oraculis augurijs & exequijs suis celebrandis Doria musica vsi fuerint, quia animus sæpe in contemplatione languens, eiusdem concinnis motibus veluti reuiniscens, in flammas pietatis surgit. Pythagoras, vt in Tusculanis scribit orator, suis discipulis vocum ac instrumentorũ symphonia & concentu, occultissima philosophiæ & sapientiæ oracula Græce reserauit. Et sane non mirum; nam si in articulo mortis frequenter homines qui ab ortu extiterunt stupidi loquantur diuina, quorum vaticinia & imprecationes exitum inueniũt, vt de Domitio apud Lucanũ, Orode apud Virgiliũ, Calano apud Curtium cõstat, quia iam propemodũ exuuijs corporis liberi & soluti in illis loquũtur animi, quãto diuinius illi qui cælesti musices afflatu, à corpore, à sensu, ab omni cogitatione mundi, ad cælũ, ad mentẽ, ad deum incitantur? quid addam Aristo. testimonium? qui præclare docet musicã ad tria valere, nempe quietẽ, institutionẽ vitæ, & contemplationem? Cuius duæ vt ait partes sunt, veritatis inquisitio & sceleris expiatio. Quid? an veritatem inquirit musica? An à scelerum vinculis & immanitate liberat? Inquirit certè, & liberat; sed audi, vt dulce medium, non vt prima causa & principium. Medium enim est quo homo (mens sola ve-

Luc.l.7.
Æneid.l.10
Cur.l.10.
Polit.l.8.
Veritas vt medium nó vt principium.

 luti

*diui factus mentem primam primamq; verita-tem perpetuò contemplatur. Nihil hîc dicam de authoritate diui Augustini, Ambrosij, Hieroni-mi, aliorumq; sanctorum patrum qui ad vnum omnes & singuli vim musices in contemplatione suspiciunt & admirantur. Idcirco inquit.* Isido-rus musica introducta fuit in ecclesiam vt qui verbis non compunguntur, modulatio-nis suauitate moueantur; *huius rei Augusti-nus rationem addit*, nam omnes inquit af-fectus spiritus nostri pro suaui diuersitate sentio habere proprios modos in voce & cantu, quorum nescio qua occulta familia-ritate excitentur. *Rationes quæ sequuntur sunt ab vsu, à comparatione, à simili, à necessario, à re-latione, ab occulta proprietate & exemplo. Ab vsu musices, qui est publicus vel priuatus, publi-cus vbiq; gentium in templis, priuatus maximè inter musas in academijs: templa verò & acade-miæ sunt loca contemplationis magis quàm acti-onis, sacerdotibus & philosophis destinata: est er-go probabile musicam ad cōtemplationem magis quàm ad actionem, ad vitam magis theoricam quàm practicam pertinere. Hunc vsum musices in templis maiores vt sacrum, non ita pridem multi vt vtilem, recentiores nunc scri-ptores vt legitimum nobis commendarunt.*

Hegesipp. in præfat. psalmo.
Li.9.cap.6. confess.
Isi. de ec-cles. offici. 1. cap. 5.
Aug.l.con. 10.c.33.
Musices v-sus publi-cus priua-tus.
Lutherani

*Ratio à comparatione quæ ſequitur, eſt inter triumphantem & militantem eccleſiam; ſi etenim hæc illam, quoad fieri poteſt, imitari debeat, ſi autem illa 24 ſeniorum cantu, angelorum harmoniâ, ſanctorum hymnis, lyris, cytharis, alijsq́ id genus inſtrumentis deſcribitur, quis abſurdum quis impium putet, ſi in militante eccleſia illius memoriâ & imitatione commoti humanis vocibus, organis, pſalterijs, alijsq́ muſicis inſtrumentis diuino numini ſeruiamus, viamq́ fini, motumq́ termino ad quem mouemur comparemus. Hinc verbo ſic concludas, muſica in cœlo ad perfectam contemplationem requiritur: ad inchoatam ergo in hac vita eſt neceſſaria, imò eô magis hanc inchoatam vitam contemplatiuam quàm actiuam iuuat, quô maior muſices cum hac quàm cum illa eſt analogia, conſenſus & ſimilitudo. Quid addam? A ſimili hoc ipſum probo. Nam vt peritus & prudens medicus cùm pillulas aut amaras potiones malè affectis miniſtrare velit, primò dulcioribus ſyrupis guſtatum mutat, nè ægrotantes medicinam ſalutarem propter amaritudinem in ſuam perniciem recuſent: ita olim maiores noſtri verè philoſophi & ſapientes viri conantes amaras radices virtutum pretioſas tamen propinare contemplantibus, muſicam tanquam nectar cum iſtis radicibus miſcuerunt*

Eccleſia Militans Triumphans. Apocalip. cap. 19.

Contemplatio Inchoata Perfecta.

Muſica & Medicina.

Auguſt. in prefat. pſal.

*ut eiusdem dulcedine perceptâ, omne contempla-tionis tædium & labor tolleretur, fructusq; tandem perciperetur virtutis. Non dicam August: eâdem similitudine laudabilem vsum musices nobis in ecclesia commendasse, non dicam illum vt in libro confessionum scribit, suauitate cantantiũ in ecclesia ad lachrymas sepè, spirituq; tandèm per cantum in illius animum illapso, ex Manichæo ad christianæ fidei professionem fuisse impulsum. O diuinam vim musices, quæ sic contemplantium animos & præcordia tangis. Ducitur hic autem argumentum à necessario, quia sine musicâ (vt aiunt) affectuum turbines sedari non possunt, tot enim sunt contemplantium phantasmata, tot dæmonum ludibria, tot vitæ solitariæ pericula, quæ si alia arte quã musicâ fugare contendas, id solùm agis vt nimia ratione insanias. Hoc demum experientia probatur, quia in eremis & solitudine viuentes, defixis in terrã oculis, sibimet nonnunquam occinunt, ratio est, quia cantu phantasmata dispellunt, ludibria mundi fallunt, vitamq; solitariam viuentes, contemplationi rerum diuinarum multò alacrius se dedunt & intendunt. Ratio à relatione sensui suas vires habet, nam in theorica vita hoc agit musica vt animo toto in contemplatione demerso, homines nil nisi cæleste cogitent. Videas enim se-*

Lib. 9. c. 5.

Necessitas Musicę.

Experientia de Musica.

pè deuotos sic odis, sic hymnis in extases rapi, ut reliquis sensibus consopitis, extra se positi, & à mortalibus his domicilijs separati videantur; si ergo contemplatiua vita sit veluti mors externorum sensuum, mentisq; ad deum eleuatio, musicam (quæ sensus obtundit mentemq; ad cœlum rapit) esse quidem ad contemplatiuam vitam maximè necessariam, nemo est tam stupidus qui non fateatur. Si conclusionem quæras, sic arguo. Est musica diuinissima scientia mentis: ergo aptissima ad mouendam mentem, ergo ad contemplationem necessaria. Qui id probas? Hoc modo, quoniam mens est sedes contemplationis, contemplatio virtus & perfectio mentis, sed musica scientia est virtus mentis: potentius ergo multo ipsam mentem monet. Sed quid ago? In Oceano huius causæ nimis fluit oratio. Duo argumenta adhuc indiscussa manent, alterum ab occulta proprietate, alterum ab exemplo petitur; hæc duo in vno, breuitatis causâ concludam. Occulta proprietas musices, quæ eandem ad theoricam vitam maxime valere ostendit, in pellicano, phœnice, philomela, cygno alijsq; auiculis solitariam vitam degentibus, manifeste cernitur: hæ aues monastice quasi viuũt, suasq; odas distinctas habẽt, nam pellicanus in nido cum pullis sedens, dulciter vltimũ suum vale canit, rostroq; effodit pectus

Deuoti.

Contemplatio mentis perfecta.

Musica virtus mentis.

Hierony.

phœnix ad montis cacumen volans, semel in vita canit, seq; alarum motu in flammas cineresq; vertit; philomela media nocte spinis incumbens pectore, varijs cantibus deum præpotentem laudat fessaq; tandem viuere, fossa in terram cadit; Cygnus deniq; veluti cupiens dissolui paulo ante mortē canit, vitamq; miseram voce & harmonia cœlesti claudit. Pauci sunt hodie pellicani, phœnices nulli, nescio sane an sint ulli qui cum philomelis media nocte canunt; scio certe quod sint paucissimi qui cum cygno ante mortem canunt: musica tamen multos pellicanos, phœnices, philomelas, & cygnos, hoc est multos verè deuotos orantes & contemplantes faciet.

Plin. l. 10. cap. 2.

Plin. l. 10. cap. 29.

Æneid. 10



MVSICÆ INSTRVMENTAlis vis mira & efficax in contemplatione rerum diuinarum, eaq; musica quæ mixta est, id est voce, mente & manu consona, plurimùm laudatur.

## CAP. VI.



LATO musicam tripartitam fecit, vocalem, organicam & mixtam, prima illa solùm humanis vocibus, secunda instrumentis, tertia vtrinsque concentu perficitur. De vocali superiùs satis, nunc de instrumētali & mixtâ agimus. Instrumētorum alia sunt bellica vt membranæ, tubæ & sonoræ fistulæ; quæ (vt ait Thomas) animum ad firmitatem; alia ethica & moralia, vt cymbala, cythara, barbitona quæ animum ad delectationem virtutis; alia theorica & diuinis vsibus inseruientia, vt psalteria, trigona, sambucæ, organa, quæ mētem sursum ad meditationem rerum diuinarum trahunt. Nihil hic dicam de theatricis & bacchanalibus tibijs quæ tedas furiasq́; libidinis, insaniæ & amoris excitant. Cum

Musica, vocalis, organica, mixta.

Instrumēta bellica, ethica, theorica. D. Thom. in psal. 32. vers. 2.

er

*ergo de instrumentali musica hic loquimur, intelligi volumus doricam illam quæ instrumentis (diuina quasi sonantibus mysteria) concinnatur & absoluitur. Sed vt rem aggrediar, quid quæso in organis ac instrumentis (quæ à maioribus ad maiorem æstum & impetum deuotionis concitandum inuenta sunt) reprehendis? si eorum institutionem spectes, diuina est: si similitudinem cum voce humana, mira est: si significationem, mystica est: si proprietatẽ, vltra quam dici potest abdita & necessaria est: si omniũ ætatũ ac gentium approbationem, catholica & vniuersa est: si deniq; finem & perfectionem, sancta & religiosa est. Sed vrges vt ordine hæc ipsa probem: age, quoniàm sic vrges idipsum agam, & vt à primo exordiar. Prima inuentio proculdubio instrumẽtorum à deo est, quod sanè olim Philosophi insi-*

Ratio.1. *nuarunt, cum cytharã ab Apolline, à Mercurio lyram, tubam à Marte, sambucam à Pallade, aliaq; instrumenta ab alijs in deorum tum numero habitis, inuenta & formata fuisse credunt. Sit Tubal si placet inuentor, sunt ergo antiquis-*

Gen.c.4. *sima: sit Pythagoras si velis, non sunt ergo noua: vtcunq; se res habet, si inuentionem spectes, eo-*

Arist.l.1. de cælo & l.1.physi. *rum institutio in templo à Deo, à deo inquam immortali fuit: sunt ergo sacra & non sine mysterio aliquo instituta: deus enim & natura nihil*

nil frustra agunt. Sed dicis inter ceremonias hec olim posita, iam noua exorta luce dispelluntur vt nubes; respondeo nec musicam nec musica hec instrumenta (de quibus nunc agimus) fuisse ceremonias, cum typum nullius veritatis futura & expressa gesserunt, cumq; Christus & apostoli ipsi canentes psalmum, angeli in excelsis canentes gloriam, magnum encomion musices nobis reliquerunt: quod certè non fecissent si tanquam nebulas & vmbras ab archa tabernaculo & ecclesia dei abigi & dispelli voluissent; sed penè elapsus sum limites quos mihi proposui. Ad secundam igitur rationem venio, que est a similitudine quam instrumentum musicum cum voce humana habet. Sed hic subrides fortasse Aristarche, cum organis ac instrumentis inanimis, quasi vitam vocē & linguam me attribuentem audias: ride si placet, non est tamen quod derideas; si mecum altius consideres quis sonum vocem & sensum instrumentis tribuat: tribuit quidem homo, qui postquam cœlestem harmoniam animo concepit suo; digito, plectro, flatu, tangit, pulsat, mouetq; instrumenta, eorumq; voces & linguas pro diuino afflatu & affectu format, flectit, moderatur. Sic ergo loquuntur organa vt scientium musicorum iubent concepta, si igitur voces humane scienter in aurem fuse, mentem ad deum

Mat. c. 26.

Instrumenta vocalia.

ad

ad pietatem monent quod non potes negare, dic mihi cur instrumenta musica spiritu & affectu musicorum tacta idipsũ in animis hominũ nõ efficiant; sed syllabicis & distinctis vocibus ista inanima instrumenta carent. Rectè mones, ad tertium ergo argumentum aduolo in quo certas & distinctas voces & significationes instrumenta habere doceo. Quid negas? Nonnè tuba clangens ad bellum vocat, nonnè lyra ad laurum & palmam pacis? dic quaeso cur alia instrumenta Marti, alia paci, cur alia theatro & conuiuio, cur alia templo destinantur, an quia vnâ voce eademq; confuse loquuntur omnibus, an idem hystrionibus in scena quod epulantibus in mensa, an idem pugnantibus in campo quod orantibus in templo instrumenta sonant? si idem sonare dicas ad te ipsũ appello, nam tibi conscius erras; si autem non idem sonare dicas, fatearis tandem distinctas voces certasq; significationes vocum instrumenta musica sibi vendicare. Si liceret hîc sacra testimonia addere quod non libet, dicerem cum diuo Paulo. Quae sine anima sunt vocem dantia siue tibia siue cythara nisi distinctionem sonituũ dederint, quomodo scietur id quod canitur aut quod cytharizatur? Rationem ab alio exemplo addit, si etenim incertam vocem det tuba quis parabit se ad bellum? vides hoc loco nominatim

Ratio. 3.

Instrumẽta musica distinctas voces habent.

1. Cor. cap. 14. 7.

tiam instrumentis concedi vocem, eandemq́; non confusam sed certam, non obscuram sed significatione notam & distinctã. Si enim hæc vox confusa & incerta esset, iniqua videretur illa Christi reprehensio cũ dicit cãtauimus vobis tibijs & non saltastis, lamentauimus & non plorastis. Attende igitur si certa vox, si certa soni distinctio, si quodamodo lingua & sensus tubis & fistulis (omnium instrumentorum pondere & dignitate minimis) concedantur, quãtò magis organis alijsq́; ad diuinos vsus fictis & firmatis instrumentis articulatim distinctè quasi loquendi artificium vel potius mysterium tribuatur? præsertim cum ex his deuotè ludentium affectus vel si magis placet ipsi animi, astantium & audientiũ affectibus animisq́; adiũcti sint & eloquãtur. Age, notam certamq́; agnosco instrumẽtorũ vocem, sed modum quo fiat certa & distincta quæro. Modum accepisti modò, nam vt species & obiecta rerum ad oculum per aerem aut aquã propria sua media: ita diuina musicorũ concepta per organa & instrumẽta musica benè sonantia aptissimè ab animũ deferũtur. 4 quòd instrumẽtis musicis attribuitur vis plusquàm mirabilis & influẽtia est quâ veluti diuinitus igne demissa nõ solũ Indici gymnosophistæ accensi, futura diuinant & vaticinantur vt quidã scribunt, sed etiã Ratio. 4.

prophetæ

Agrip. prophetæ Dei eadem inflammati, magna mysteria & miracula loquuntur: sic ferunt Sybillas olim instrumentis musicis foras pulsatis, ab alto quasi somno & sopore excitas, prophetasse: & sane non possum non credere mysticam aliquam proprietatem in concentu musico latere: Nã aliter quorsum dixisset Helizeus? Nunc autem adducite mihi Psaltem: & quorsũ addita fuissent illa in textu verba? nempe Cum caneret psaltes, facta est super eum manus Domini. O plusquam diuinam & obstupendam vim musices. O cœlestem & arcanam influentiam, quæ instrumentis & fidibus in laudem Dei paratis, datur; hinc credo est quod in solenni illa cõsecratione templi, classes, ordines, leges & nomina cãtorum demonstrentur, quorum alij cymbalis, alij cytharis, alij alijs instrumentis, diuinas laudes sonabant: & vt robur argumento addam, vnus nomine Chenenias prophetiæ preerat & melodiæ, huc adde si libet miraculosam illam virtutem fugandi dæmonas de qua Theologi, curandi morbos de qua medici, placandi feras de qua Philosophi passim in suis monumentis scribunt: sed de hac virtute instrumentorum pluribus posthac dicetur nunc vero quid superest? Nisi vt maiorum calculis hoc ipsum comprobemus: sed hic quo me vertam nescio, volens nolens

Lib.4.Reg. cap.3.

Li.1. chronicorum cap.15.

video

*video lyrā in cœlo, cytharā in cœlo lucere, nescio an hinc instrumēta musica satis laudis & honoris habeant, sed stellatas lyras & cytharas hoc loco non quærimus, ea solum nunc celebramus quæ deuotos & religiosos faciunt. Hæc antiquitas inuenit, hæc maiorum authoritas comprobauit; Si nominatim exempla quæras, obeamus terras & gentes, & petamus quorsum campanæ vbiq; in turribus, instrumenta musica in templis sonant, audiemus proculdubio hoc responsum, quod campanæ sint veluti spirituales tubæ, quæ nos ad prælium; instrumenta sint media diuina, quæ nos ad cœlum vocant: est enim in illis dulcis clangor, in his dulcissimus amor Dei, quippe illis ordine pulsatis ad Martem aduersus mundum, his vero sonantibus ad pacem, ad deuotionem, ad Deum incitamur: hinc olim imperatores, reges, gentes ac nationes summos honores peritis musicorum instrumentorum tribuerunt. Quid opus est exemplis? Periander Rex Corinthiorum Arionem, Hieron Rex Siciliæ Symonidem, Alexander ille magnus Timotheum, Agamemnon Demonicū, Iulius Cæsar Hermoginem, Vespasianus Diodorum; Inter gentes Ægyptij Mercurium, Lacedæmonij Terpandrum, Græci Ismeniam, Angli non ita pridem Tauernerum, Blithmanū, Tallesium, Morum aliosq; insignes musi-*

Cāpanæ.

In Thea. vitæ. Pol. de inuen. Boetius in Musica.



cos

eos magnis prẽmijs affecerũt: & qua causa nunc
est cur hos superstites adhuc viros Birdũ, Mũda-
num, Bullum, Morleum, Doulandum, Iousonum
aliosq; hodie permultos instrumentorũ peritissi-
mos iustis suis laudibus non persequamur? Da
veniam studiose lector si vehementiùs hanc cau-
sam persequar, musica enim animum, instrumen-
Aug.l.con. 9.c.6. ta musica me totum vendicant. Cum Augusti-
no non sum conferendus miser, confiteor tamen
me vocibus ac neruis musicis plurimùm cum illo
commoueri. Addam rationem vnam aut alte-
ram & sic concludam in hac thesi omnia: prima
hæc erit, quòd instrumenta musica peritè tensa
& pulsata meliùs voces humanas dirigant, eas-
demq; certiores & suauiores reddant. Omnis e-
nim vnita vis fortior est, vt ait Philosophus: at
quando voces cum instrumentis consonant &
conspirant, melodia plusquam diuina nascitur. si
hæc vera sint vt sunt verissima, cur cymbala, psal-
teria, trigona, sãbuca, organa, idest cur musica in-
strumenta à templis, à sacris locis sunt amouen-
da? immò cur non vt maioris pietatis media sunt
potiùs approbanda? Quid multis? Paucis con-
cludam, sensum verbi non confundunt, distin-
ctã enim vocem habent; deuotionem non tollunt,
faculas enim pietatis accendunt; contemplatio-
nis studium non impediunt, ad Deum enim &

cœlestia

*cœlestia abducunt: quippe hic instrumẽtorũ finis, hic vsus est, vt vnita vocibus humanis cœlestiores harmonias reddant, animosq; mortaliũ citiùs Deo cœloq; iungant: quamuis ergo omnis musica iustissimam suam laudem habeat, ea tamen quæ mixta dicitur, id est quæ manu & voce perficitur omnium longe diuinissima haberi debet; quippè in ea simul ars & natura canunt, natura enim vocem, ars instrumentum dedit, at mirabilis est artis & naturæ in voce ac instrumentis consensus & harmonia. Si rationem quæras hæc est, quoniam idem fundamentũ vtrumq; habet. Nam vt ex lupi & agni neruis factæ fides necessariò dissonant, quia eorum discordant fundamẽta: ita necesse est vt ars & natura, vox & instrumenta maximè conspirent, cum ex ijsdem aut cognatis principijs oriuntur, cumq; ars naturam, instrumenta vocem imitantur. Cæterum attende. Cum hoc loco musicam voce & instrumentis mixtam longè maximè commendamus, organicam & simplicem illam pulsandi artem à templis pijsq; ue vsibus non reijcimus. Aquinas sydus & splendor ille ætatis suæ (postquam probârit musicam excogitatam esse vt animus humanus ad deum excitetur) de instrumentis musicis & eorum vsibus sapienter distinguit; nempe quòd alia sint instituta ad fir-*

Musica mixta optima.

Aqui. In psal. 32.

mitatem animi vt tuba, alia ad delectationem vt cithara, alia ad celsitudinem & contemplationem diuinam vt organa, quæ ab imis ad excelsa, hoc est à terrenis ad æterna & diuina, occultâ quadam virtute & propietate surgere nos faciunt, & sane hoc verum est; nam simplex & solemnis vox illa organorum cælestis chori imitationē habet: quod doctè à Theodoro Beza & Iacobo Andreâ in colloquio de hac re habito confirmatur. non possum omnia quæ illic lego scriptis mandare, nam breuitati studeo, adÿciam tamen pauca. Quod ad Organa musica attinet (inquit Beza) scimus Musices & harmoniæ illius magnā vim esse ad permouēdos animos hominū, neq; præstantiorē eius vsum videmus, quàm vt ad celebrationem & laudem nominis diuini, & permouendos atq; excitandos animos hominum ad verum Dei cultum dirigatur & seruiat. Quid hæc ad organa approbanda fortasse dices? Plurimū certè si attendas illum de organica illic harmoniâ solū disputasse: sed paulo post addit hæc verba. Instrumēta musica similiter adiaphora esse nō negamus, quibus sine offensione dei vti vel carere possumus. Hactenus Beza, Andreas vero sic loquitur: de me ipso sanctè affirmare possum, vt qui musicâ figurali & organo plurimùm delector, non modo aures sonum percipere, sed ani-

Theodor Beza.

mum

*mũ quoque harmoniâ illâ affici mirificè & vel ad preces, vel ad conciones ardentiore ſpiritu habendas vel audiendas excitari, quando ſuauiſſimâ harmoniâ canticum eccleſiaſticum vel organo luditur, aut à cantoribus, priuſquam concionator ſuggeſtum conſcendat, recepta conſuetudine cantari ſolet: adeoq́ʒ vim illam diuinitus harmoniæ inditam, in meipſo efficaciter ſentire affirmo, de qua ab initio dixiſti, quòd muſicæ figurali inſit. Idem quoque à multis alijs pijs uiris, etiam laïcis artis muſicæ ignaris audiui, quòd ſimiliter in ſeipſis experiantur.*

*Hæc quidem probant voce & inſtrumento conſonis plurimùm moueri hominem; organis vero per ſe motis non informari: parùm attendis, ſed audi quæ ſequuntur.*

*Præterea de Dauide nota eſt hiſtoria, cum coram Saule, quando à ſpiritu Domini malo exagitabatur, cytharâ luderet, quòd harmonia malignum ſpiritum repulerit. Quæ harmonia non modò aures Regis Saulis feriebat, ſed animum quoque eius afficiebat, vt à malo ſpiritu ad tẽpus liberatus & quietus eſſet. Non enim Dauidem ceciniſſe, ſed inſtrumento muſico, quale tandem illud fuerit, luſiſſe tantùm ſcribitur.*

*Non igitur contemnenda vis eſt harmoniæ Muſicæ figuralis, quæ ſpiritum domini malum*

" repreſſit: quæ ad animum vſque, etiamſi, quod
" luditur aut canitur, non ab omnibus intelliga-
" tur, penetrat. Quam vim multo maiorem in ſe
" experiuntur & ſentiunt, qui vnà cum harmo-
" nia, res quoque ſacras, quæ canuntur, intelligũt.
Hinc conſtat non ſolùm cũ voce, ſenſu & verbo organa in tẽplis vim magnã pij affectus mouẽdi habere (quãuis hoc modo efficacius mouent) ſed etiã vt modò diximus quodãmodo audiẽtibus & orantibus arcana quaſi myſteria diſtinctè loqui & enunciare: qualis enim eſt ſcientis & pij organiſtæ deuotio, talis ab inſtrumento, in præcordia veluti audientium fluit affectio, quæ neruos & fibras animi pulſat & mirificè vi quadam diuinitus indita ab imis ad ſumma mouet. Concludam ergo cum Andrea quòd minùs conſideratè agant illi, qui adhibitis equis & funibus vno impetu organa quaſi res prophanas deijciunt & à tẽplis ad ſentinas & ad flammas trahũt: nã conſtat (vt illius cataſtrophâ vtar) organa eſſe adiaphora & non modo licita ſed etiam egregia

In colloquio de organis.

" templorum ornamenta: modò illis ad celebratio-
" nem numinis diuini vtamur: rationẽ addit, quia
" illis ſic vti non modò non prohibitum ſed expreſ-
" ſè mandatum eſt pſalmo 150. Laudate dominum
" in ſono tubæ; Laudate eum in pſalterio & cytha-
" ra: Laudate eum in tympano & choro: Laudate

eum

*eum in chordis & organo. Quid multis? si nulla argumenta nos ad hoc genus musices amplectendum moueant, illud tandem accenderet: nempe quod hoc genus harmoniæ deo placuerit: ergo homunculis nō displiceret: antecedens probo quia pulsatis instrumentis musicis dignatus est deus à cœlo homunciones respicere, nubeq́ gloriosâ diuinæ maiestatis suæ templum Salomonis adimplere: nam sic textus habet; Igitur cunctis pariter & tubis & voce, cymbalis & organis & diuersi generis musicorū concentibus vocemq́ in sublime tollentibus longe sonitus audiebatur, ita vt cum dominum laudare cepissent & dicere Confitemini domino quoniā bonus, quoniam in æternū misericordia eius, impleretur domus dei nube ne possent sacerdotes stare & ministrare propter caliginem: compleuerat enim gloria domini domum dei.*

Psal. 32. Lib. cron. 2. cap. 5.

## AN SIT POLITICVS vſus muſices? eâdemq; quibus, quo loco, & quando vtendum eſt.

### CAP. VII.



*OCRATES & Plato tanti æſtimârunt muſicam, vt diſertis verbis ſapius affirment mutationē aut defectionem eiuſdem repuſp. longe periculoſiſſimā eſſe: quippe vt aiūt ciuiū mores, affectus, actiones, opera totaq; vita ciuilis ratio quodāmodo à muſica & harmonia pēdent. Si enim in vno homine ſit quidā concentus, neceſſe eſt vt in tota ciuitate (quæ eſt multorū hominum vnio) & in repub. (quæ eſt ipſius vnionis ordo & adminiſtratio) ſit muſicus quaſi conſenſus & cōſpiratio: aliter vt diſſolutis neruis corpus in paralyſin & tremorem partium: ita ciuitas diſſolutis membris conuulſa in horrorem & confuſionē ipſorum ciuium periculoſe cadit. Hinc apud Socratem & Platonem: Quid? apud Socratem & Platonem*

Cic. de leg. lib. 2.

Quid ciuitas. quid reſpub.

*Platonē dixi? Immo apud Cretenses, Lacedæmonios, Athenienses, Romanos dicerem, addam si placet apud Gallos, Hispanos, Anglos, vtiles & præclaræ olim leges de vsu musices, de musicorū ordine, vitâ, institutione sancitæ, & quod est amplius, obseruatæ fuerunt. Adhuc apud nos insignia vestigia sunt, cum ex statutis maiorum in singulis ferè collegijs & celebrioribus ecclesijs Precentores, organistæ, clerici, & symphonistæ viuunt, cum in singulis fere ciuitatibus diluculo nobiles ad studiū resp. ciues ad suum opus musicorū fidibus excitantur. Sed vt in pauca rem totam conferam. Vsus musices triplex est, diuinus qui contemplationē, ethicus qui institutionē vitæ, politicus qui conseruationem reipub. ac ciuitatis spectat. De theorico & diuino satis diximus, de ethico & ciuili nunc pauca dicemus. Ethicus seu moralis vsus musices (vt distinguēdo procedam) in duobus precipuè cernitur: nempe in sedandis malis affectibus & in bonis moribus cōparandis: hinc est q̄ Aristo, alijq́; Philosophi persuaserint pueros & adolescētes ad studiū & praxim musices cogendos, cuius rei causæ tres sunt, quia in ea est expressa imago & dulcedo virtutis, vtilis exercitatio vocis, moderatio affectus. Imago virtutis: est enim musica ipsa virtus; virtutis dulcedo, est enim musica ipsa concentus; exercitatio vo-*

Lege venerabilem Bedā. l. 4.

Vsus Musices Diuinus, Ethicus, Politicus.

8. Lib. pol. 3. Causæ cur pueri musicam discant. Imago virtutis. Exercitatio vocis.

Moderatio affectus.

cis, est enim in praxi musices salutaris agitatio pulmonis, quæ generosum spiritũ & calorem in præcordijs gignit, crassos humores (quibus abundat ætas puerilis) digerit, omnesq́; vapores & nubes à capite fluentes aut fluxas pellit; postremò moderatio affectus in ea inest, quia vt antea docuimus, per aerem auremq́; in ipsam mentem agit, eamq́; mirabiliter sub suo nutu & imperio tenet. Politicus vsus musices communis & vniuersalis est; in hoc considerari debent, personæ vt quibus, tempus vt quando, locus vt vbi, modus vt qua ratione, finis vt quamobrem musicâ vtendum sit, cuilibet intelligatur. Personæ quibus musices vsus conuenit (exceptis solum mancipijs naturæ) sunt reges & ciues, principes & subditi, agricolæ & senatores, milites & studiosi pacis, tota deniq; cohors & multitudo ciuium; at absurdum hoc est vt reges, principes, & senatores, quasi tibicines lyram Paridis in senatu tractent. Absurdum quidem est vt ais, nec hoc requiro, id solum volo vt summi, medij & infimi opportunè musica solatia habeant. Quid? vis vt musici Cæsares & Catones fiant? Quid quæso hinc mali si hanc artem Cæsares & Catones discant? Nam quamuis cythara Neroni in theatro concedi non debet, si tamen priuatim seipsum cytharâ reficiat, nemo vt opinor sanæ mentis ho-

Personæ quibus Musica conuenit.

Tacit. Annal. l. 14.

factumne

factum Cæsaris reprehendat. Discant ergo hanc artem principes, discant ciues, discant omnes si possunt, si verò non possint opportunè, eandem ad sua solatia adhibere discant. Hinc altera conditio obseruanda in hoc vsu sequitur nempè tempus: tempus verò tum aptum & opportunum est, cum solemnia festa & feriæ, publica conuiuia, nuptiæ aut nobilis victoriæ insignia ad honorem ciuitatis celebrantur. Locus (in quo politicus hic vsus cernitur) est aut publicus aut priuatus: publicus vt theatrum cui tragicum, campus Martius cui bellicum, conuiuādi palatium cui comicum, templum deniq; cui doricum & solenne genus harmoniæ conuenit; doricum & solenne dico quia molle & effæminatum genus musices templo non conuenit: qui ergo cantilenas impudicas deuotionē cultumq́; diuinum impedientes cum organis aut alijs instrumētis musicis in templo personāt, abutuntur loco, est enim locus hic sacer in quo vt August. ait nihil fieret nisi id solum ad quod fiebat. Priuatus locus à nobis hîc non distinguitur, quippe qui ciuilem vsum minùs spectat; erit tamen politicè & prouidenter factum vt cuiuis ciuium in priuatis ædibus musicam pro arbitrio adhibere liceat, si modum & finem de quibus nunc agitur diligentiùs consideret. Quid multis? In modo decus, in fine virtus inest, quippe modū tene-

Tempus quando.

Harmonia Tragica, Bellica, Comica, Solennis.

Modus & finis in priuata Musica.

Modus & finis in priuata musica.

*tenes si decorũ attingas: finem, si delectabile honestum in concentu quæras; si verò solùm vanas delicias Veneris minusq́; sobrias saltationes & nugas secteris in domo, hac arte abuteris, vsumq́; eiusdem verum non apprehendis. Vt enim in ea est alexipharmacum si vtaris, ita si abutaris toxicum venenum habet. In nuptijs, in conuiuijs & saltationibus in choreis etiam illà si placet vtere, sed memento modi in quo decus, memento finis in quo virtus lucet. O vtinam istius ætatis adolescentes, viri & senes etiam propè dixerim: sed nihil addam, vtinam dico: Sed non pergam, vtinam certè sed non vram, relictis odis & rythmis plusquam amatorijs penè dixeram amentibus (quibus olim Mars venerem, Antonius Cleopatram, Paris Helenam, ipse Demosthenes Laïdem coluerũt) hymnis & psalmis Deum cœli & terræ adorarent. Sed delirat nunc mundus, aliter tot libidinum carmina, quid ni carcinomata? tot volumina & palatia Cupidinis, tot idola vanitatis oculis & auribus hominum non subijcerentur: vsus musices est non vt incitet ad amplexum veneris sed virtutis, nõ vt nudas saltatrices ad furentem & spumosũ pruritum scelerati Neronis, sed vt vestales virgines castas & pudicas ad consilium seueri Catonis pellat. Olim in choreis & tripudijs maiores*

Sueton In Nerone.

*veluti*

*veluti motus, progressus & vestigia omnium virtutum expresserunt. Sed ô tempora, ô mores, Tempora mutantur & mos mutatur in illis. Quippe nos propè omnes & singuli his diebus in principio saltandi genibus flexis salutamus Venerem, in medio progressu lascivis oculis fascinamus animum, in fine scilicet osculum & amplexum petimus,* cætera quis nescit? *& quæ sequuntur. Horribilis abusus hic est publicæ & priuatæ musices, detur recreatio sed vitetur turpitudo, pulsentur organa, saltetur etiam si velis, in epulis, in theatris, in priuatis ædibus: musicâ delectentur ciues, si modò (quod bis antè dixi) modi meminerint in quo decus, finis in quo virtus inest.* Thomas Eliotus in l. de regimine ciuitatis.

Obiectionibus in vsum tam publicum quã priuatum musices respondetur.

Opp. *Musica vocalis aut instrumentalis expresso Dei verbo non mãdatur: ergo in templo approbari non debet.*

Resp. *Chirographum noui testamenti nõ video quo mandatur, exemplum tamen & consilium quibus laudatur video: exemplum Christi qui hymnum post cœnam dixit, consilium Pauli & Iacobi qui nos ad modulationem hortantur.* Iac. 5.

Opp. *Musica legis ceremonia fuit: ergo iam tollenda est, quippe nouâ luce veritatis exortâ, nubes legis euanuerunt.*

Resp. *Musica (vt quidam docent) vmbra legis non fuit, quippe nullam veritatis iam factæ expressa imaginem & vestigiũ gessit, sed detur fuisse ceremonia, ratio tamẽ non sequitur. Multæ ceremoniæ quæ fomites & motrices deuotionis sunt adhuc in ecclesia Christi retinentur, ob hanc causam musica in templo Salomonis fuit instituta, ob hanc solam causam à nobis iam recepta est & olim à maioribus approbata.*

Opp. *Deus est spiritus: ergo mente non cantu, spiritu non sonoræ vocis concentu colendus.*

Resp. *Ratio non cohæret, quia deus & mentem & corpus finxit, quare vt totis illius viribus præcipuè, ita huius partibus ac potentijs se adorari iussit: cum ergo externam musicam extollimus, internum animi concentum non negamus, immo illius impetu huius aciẽ multò magis acuimus & excitamus.*

Opp. *Deus nouit ea quæ petituri sumus antequam petimus neq; verborum circuitu & multitudine delectatur: ergo non opus est figurali aut instrumentali musicâ in qua per inanem repetitionem eiusdẽ vocis, syllabæ aut literæ speramus deũ flectere & superare: melius enim & expeditius est mẽte sic dicere (Pater noster) quã Stentoriâ voce cum organis sic cantare Paaater nooo ster otiose ingeminando & inculcando*

*do quasi Bali aut deo surdo & somniculoso cantaremus opus tubis & instrumentis habenti, quibus ad nos audiendum excitetur.*

Resp. *Periculosè ludis non nescius vt opinor vanitatis tuæ: nam etsi deus qui est æterna sapientia omnia prænouit quæ petituri sumus antequam petimus; requirit tamẽ & mentem perpetuã & orationẽ in signum humilitatis nostræ; & licet inanẽ conatum eorum reprehendat qui minimè necessaria petentes verborum multitudine existimant vota & optata sua se posse obtinere: bene tamen petentium numerosas repetitiones & reciprocationes verborum non arguit, vt constat in cantico illo puerorum apud Danielẽ & in emphatica illa petitione mulieris cananeæ & cuiusdã cœci curatiã christo qui culpati sæpe & repulsi sæpiùs hoc verbũ* miserere *ingeminârunt. Quid? An Seraphim liceat ter ingeminare* sanctus sanctus sanctus, *& Dauidi ter nomẽ dei in vno versu psalmi canendo repetere? & nobis Christianis id ipsum agere nõ licebit? caue ne cum sanctis ludas, disce ab apostolis non solùm mentem & vocem sed musicum vtriusq; concentum in hymnis & psalmis cantandis à te requiri, & si defixâ in Deo mente lingua tua eandem literam, syllabam aut vocem frequentiùs repetat, misticum animi zelum non*

Danielis cap.3. Lucæ cap.18. Mat.c.15. Esa.6. Psal.66.

*magicum*

*magicum incantamentum putes.*

Opp. *Vocum & instrumentorum confusione sensus diuini verbi aut tollitur aut obscuratur: musica ergo non est in templis toleranda.*

Resp. *Hoc verũ est si syllabicè & articulatim vt aiunt à musicis non cantetur, verùm si instrumenta & voces suauiter & distinctè consonent, maiorem æstum & feruorem internæ deuotionis sentiemus.*

Opp. *Fistulosa organa & alia instrumenta musica voce & linguâ carent: inani ergo strepitu soni aurem potiùs vulnerant quàm vllo intellectu verbi mentem informant: illorum igitur vsus in templis nullus est, aut si vllus ethnicus & prophanus quidem haberi debet.*

Resp. *Quãuis fistulosa organa vt satyricè vocas, aliaq; instrumenta musica voce & linguâ carent, loquuntur tamẽ mentẽq; diuinis affectibus iisdẽq; plenis mysteriis replent. Causæ multæ sunt, vna quia concepta deuoti musici per instrumenta non aliter quàm obiecta per media in orantium animos deuehuntur. Altera quia ex illis conceptis aliæ diuinæ vi mentis eliciuntur species. Tertia quia sic animo formato pii intus concitantur affectus: postremò quia diuinis his sonis per instrumenta impressis, formis vi propriâ elicitis, affectibus de nouo genitis, totus homo oblitus mun-*

Leg. Aug. con. l. 9. cap. 6.

di

*di cum aquila in cœlum ad suam prædam & præmium volat.*

Opp. *Augustinus se sæpè vocum concentu distractum fuisse à sensu rerum ideoq́; se mortaliter peccasse confitetur. Simile habet Gregorius vbi ait dum blanda vox quæritur congrua vita negligitur, hinc illud* Non vox sed votum, non cordula musica sed cor, non clamans sed amans cantat in aure Dei. *probabile ergo est patres musicam in ecclesia non approbasse.*

Lib. confess. 10. ca. 13. Decret. Greg. pontif. in sancta Rom.

Resp. *Non illic artem sed suam humanam infirmitatem accusant patres. Nam vt dulcedo vini non est causa ebrietatis, sed intemperantia bibentis: ita musica non est causa distractionis, sed audientis incuria, qui sensu neglecto concentu solum delectatur.*

Opp. *Vita theorica in Deo fixa satis est per se iucunda: ergò non opus habet musicâ qua delectetur.*

Resp. *Vita theorica est duplex, absoluta in cœlo quæ est satis per se delectabilis, comparata in ecclesia Christi quæ persecutionibus est subiecta: hæc autem vita musicâ eget vt crucem portantium animi in via non langueant, & à suscepto itinere non reuocentur.*

Vita Theorica duplex.

Opp. *Notum est organistas sepe impudicas & impuras cantilenas in ecclesia ludere: melius*

*ergo altum erit cum ecclesia, si iste fistula ab ea tollantur omnino; nam optandum potiùs est fistulas quàm animas perire: at perire necesse est aut saltem periclitari, si molliori musicâ vt aues fistulâ capiantur.*

Resp. *Respondeo cum Andrea quòd sit in hoc argumento fallacia accidentis, & propter abusum organorum verum & legitimum eorum vsum minime esse abrogandum: aliter ferri & vini vsu omnibus interdicendum esset, quia plurimi illo ad sanguinem, hoc ad ebrietatem abutuntur.*

Colloquio de Templis imaginibus & organis.

Opp. *Scandalum est multis videre & audire organa in ecclesia: sed infirmos offendere nō licet: ergo organa admittere non licebit.*

Resp. *Scandalum est acceptum non datum, quippe si res sit legitima qua agitur, iniquus videtur esse qui offenditur.*

Opp. *Instrumenta musica ligna aut metalla sunt: ergo vim & virtutem mouendi animum ad studium pietatis non habent.*

Resp. *Similiter si placet sic disputa, hematites lapis est & Rhabarbarum plāta: ergo ille vim sistendi sanguinem, hæc vim expurgandi choleram non habet. attende, vim non ligno aut metallo, sed Deo, qui hanc proprietatem instrumentis dedit, attribuimus: is enim vt stellis, plantis, lapidibus suas; ita cytharis, organis & instrumentis in honorem*

norem suum tractates vires occultas & diuinas dedit.

## Contra musicam in theatro.

Opp. *Histrionica harmonia aut comœdiam spectat, quæ molles & effæminatos; aut tragœdiam, quæ barbaros & truculentos populi mores reddit: non est ergo in bene administratâ repub. permittenda.*

Resp. *Comœdia & tragœdia in theatro aguntur, non vt mollitiem aut truculentam barbariem ciues imitentur: sed vt spectatis alienis malis pericula fugere & euitare discant: si ergo ex musica in theatro istos affectus ad viuum exprimente virus busones sugant, corruptio humoris & hominis, non vitium scientiæ & artis dicitur.*

Vsus comœdiæ & Tragœdiæ

Opp. *Nullum delectabile expeti debet propter se: sed omnis musica in theatro expetitur solum propter delectabile: ergo nulla musica in theatro expeti aut tolerari debet.*

Resp. *Concedimus solum honestum expeti debere propter se, delectabile verò vt ad honestum comparatur: & sic musica in theatro expetitur quidem non vt eâ solum delectemur, sed vt eiusdem dulcedine recreati ad negotia nobis in repub. destinata alacriùs reuertamur.*

Honestum propter se delectabile propter honestum.

Opp. *Theoricæ vita studentibus non conceditur theatrum nec musica theatri: sed theo-*

rica vita magis eget musicâ quàm vita actiua, vt docuisti: ergò si theoricè viuentibus non permittitur, multò minùs politicis concedetur.

Resp. Docuimus theoricam vitam magis indigere musicâ quàm actiuam, sed musicam illîc distinximus in cœlestem seu doricam, qua magis vita contẽplatiua: in ciuilem seu phrigiã, qua magis vita actiua eget; illa theoricè, hæc politicè viuentibus solatium & medicinam subministrat.

Contra musicam in conuiuijs & nuptijs.

Opp. In epulis & nuptijs probè pasti & poti aucupes & helluones voluptatum sumus: in eis ergò non opus est musicâ qua fomites Bacchi in veneris flammas commutentur.

Resp. Musica in epulis et nuptijs est ad-
Esa.5.12. hibenda, non vt eiusdem illecebris effascinentur
Amos.6 5. homines, quos luxuriãtes reprehendit propheta,
Ro.13.13. quos intemperantes vituperat Apostolus, sed vt epulantium animi cœlesti modulatione perfusi à cogitatione cibi ad meditationem cœli erigãtur.

Opp. Ægiptij in conuiuijs, mortis imaginem inter epulandum conuiuis suis obtulerunt, Romani tibicines arcebant à quadris, Alcibiades in mensa reiecit lyram: istorum ergò exemplo musicam potiùs ab epulis arcere quàm retinere oportet.

(In theatro vitę. Plutarch.)

Resp. Aegiptij olim mortis memoriam

*cum musica suis conuiuijs, vt prudentes medici absynthij semen cum lacte infantibus propinârunt. Nam vt hac medicinâ dulci & amarâ vermes corporis: ita illo spectaculo sordes mentis, quæ crapulam sequuntur, purgari solent. Romani, Alcibiades, Alexander, Licurgus prohibuerunt quidem musicam, non omnem tamen sed effeminatam, mollem & lasciuam illam quâ mores hominum corrumpuntur.*

Contra musicam in triumpho.

Opp. *Musicâ vti in triumphis est nimium nostris ipsorũ viribus indulgere, & nimis atrociter alienis malis atque miserijs insultare, quorum alterum vanitatem, alterum feritatem naturæ arguit: non est ergo licita in triumphis musica.*

Resp. *Cutim & speciem non vim & neruum argumenti hæc ratio habet; nam post victoriam in hostes aut libertatem à periculis vti musicâ non est nimium nostris ipsorum viribus confidere, aut alienis malis gaudere, sed animos defessos miserijs recreare, Deoq́ qui libertatem dedit, immortales gratias & laudes tribuere. Hoc non caret exemplis, nam Miria, Debora & filia Iephtha victorias ad hunc modum celebrârunt.* Lib. Iud. cap. 11.

Contra musicam in domo.

Opp. *Morales imagines in domo, lectaq́ &*

audita historia multò magis animum capiunt & informant quàm musica: vsus ergo musices non est tam vtilis in domo. Antecedens probatur tū quia oculus plus afficit mentem quàm auris, vt constat in comparatione auriti & oculati testis, tū quia audita cū intellectu qualia sunt lecta historia, plus animum delectant quàm quæ solo concentu in aurem penetrant & deuehuntur.

Resp. Vetus verumq; est illud, plus valere vnum oculatum testem quàm auritos decem; non tamen sequitur quòd obiecta oculi magis quàm auris per se animum afficiant voluptate. Quod verò aliquando spectantes mala aut placida bona vehementiùs affectibus agitemur, hoc non cōtingit ex simplici aspectu solùm, sed quòd reliqui omnes sensus adeoq; tota natura simul iisdem moueri & tangi videantur: oculus enim simplicem formam ac speciem rei per opticos neruos ad communem sensum defert, sed hic ex vnâ specie delatâ sibi alias elicit, vnde noua phantasmata per discursum animi oriuntur. Est autem in aereo spiritu auris (quo musica in mentem immediatè fertur) maior cum animo (qui est concentus quidam) sympathia, vnde maior in ipso animo ex simplici auditu musices quàm ex aspectu imaginis nascitur delectatio. Quod addis de lectis & auditis historiis dico plurimum

quidem

quidem illis nos delectari si intelligantur: sed quantum voluptatis lectio concedit, tantum spiritus consumit intentio mentis attentius scire desiderantis, animus enim tam delectari quàm defatigari dicitur. Nam ut est dulcis sapor scientiæ ad volupi atem: ita scientis labor est qui tædium & dolorem parit: sed in musica est labor nullus, vmbra doloris nulla; quippe vires ingenij non frangit sed reficit, vitales spiritus non consumit sed subtiliores reddit, intellectum non fatigat studendi tædio sed eundem acuit mirabili influendi modo, non confundit animum ut somnias sed eundem magis quàm picta lectaq; historia instruit & informat. Ratio est quia sine vlla molestia scientiam rerum in gazam mentis vehit.

## Problemata Musica, in quibus author huius conatur lectores studiosos ad arcana musices perquirenda leuiore velu. ti gustu tactuq; rerum abditarum pertrahere.

### Cur animi deliquio laborantes harmoniam musicam audire sibi videntur? Dub. 1.

NOn quòd astantium et succurrentium vel clamor vel strepitus aures pertundens cõ-

*fuisse percipiatur, sed potiùs quòd anima à corpore & carcere seruitutis suæ fugam iam meditata futuræ suæ beatitudinis primitias & primum quasi gustum persentiscat. Ipsa enim harmonia existens ad cœlestem iam chorum reuersura necessariò dulcissimum concentum intus & in præcordijs audit, à quo clamantium strepitu ad miserias huius vitæ reuocata vehementer nonnunquam dolet & cruciatur.*

Dub. 2. Cur homines à Musica suauitate alienissimi in solitudine sibimetipsis nonnunquam occinunt?

*Hoc quidẽ contingit non solũ quia anima solicitudine absorpta concẽtu musico recreatur, sed etiã quia vitã solitariam viuentes plurimum idipsum ad contemplationem rerum diuinarum studiumq́; virtutis facere intelligunt. Est enim in melodico motu aeris vis incredibilis mouendæ mentis; quippè voces fidesq́; musicæ exteriùs dulcitèr sonantes in mentis basim non alitèr quàm lineæ in centrum cadunt, necnon in eâdem suauissimè vniuntur.*

Dub. 3. Cur infãtes nutricũ cãtiunculis deliniti aut sono se dedunt, aut saltẽ vagire desistũt?

*INFANTES humoribus in toto corpore, vaporibus in capite refertissimi placatis & quietis Spiritibus facilè ad somnum & quietem*

alliciuntur

alliciuntur, sed dulciore cantu nutricis, spiritus vitales & animales in infantulis nimium agitati placantur & leniuntur: non est ergo mirandum si dulcisonâ nutricis voce vagientes infantuli capti, somno & quieti se dedant. Cessante enim motu æstuq; spirituum quiescunt humores, vapores caput confertim petunt, qui in nebulas illic coacti motum & sensum ad tempus tollunt, somnumq; & quietem gignunt.

## Quæ causa cur cacodæmones fugantur musicâ? Dub. 4.

QVONIAM boni delectantur concentu. Nam vt boni dæmones sunt spirituales quadam harmonia: ita mali sunt horribiles veluti natura discordia, quæ stridore potiùs quā concentu capiuntur. Nam cum naturâ suâ maximè à prima causa, (quæ est principium omnis harmoniæ) cacodæmones declinant; necesse est vt dulci musicâ (quæ à causa prima influentiam habet) plurimùm vulnerentur, necnon longissimé ab illa fugiant. Prima causa principium harmoniæ.

## Cur subitò auditâ musicâ, homines in singulis corporis fibris dulcissimum veluti motum perfusæ lætitiæ sentiunt? Dub. 5.

RATIO est, quia ab animo spiritus (qui sunt instrumenta sensus & motus) musicis

numeris perculsi in singulas regiones corporis volant, eundemq; motum, quem ab animo ceperunt, retinentes, in fibras ac singulas corporis partes in instanti fundunt. Hoc probatur quia vt violento sono & motu sæpè corpus in paralysim ac dissolutionem partium de repetentino incidit; ita necesse est vt placido & harmonico motu eiusdem partes mirificè recreentur, idq; subitò; quia animales spiritus & vitales proximè ad naturam animæ accedentes, ictu oculi in varias regiones corporis dissipantur, vt manifestè patet in his, qui perculsi metu subitò expallescunt.

Paralysis.

Dub. 6.

## Cur rei alienæ fortiter ac seriò incumbentes statim perceptâ musicâ de cogitatione sua vel inuiti deijciuntur?

CAVSA est, non solum quòd musica diuino quasi afflatu animum concitet, nosq; nostri oblitos faciat, sed quia ab auribus ad internos animi recessus intromissa spiritus animales subitaneo motu dissipet, mentemq; quasi oscitantẽ & incautam pulset, necnõ ad solatium à cogitatione, in qua sepulta est, distrahat & impellat.

Dub. 7.

## Quarè seriò studentes musicæ, sæpè insaniunt?

ALIVD est musica, quæ animum delectat; aliud est studium musices, quod spiri-

*tus exhaurit & consumit: studium enim musices omnium est difficillimum, tum quia musica est mathematica scientia, quæ solùm in abstractis formis & ideis animi versatur; tum etiam quia in animis musicorum componentium cantiones multorum cantantium veluti chorus perpetuò sonare videtur: sic licet musica ipsa multùm adiuuet, vehemens tamen musices studiū & contemplatio nocet; quippè instrumenta animi & ingenij (quæ sunt spiritus, potentiæ, sensus) frangit & eneruat. Ut ergo in musica (quæ numeris constat) est vis quædam reficiens animum, qui numerus numerans vel principium numerandi dicitur: ita in studio nimis intenso musices est labor & opus, quo acies animi plurimùm hebescit, vndè sæpè nimis acriter studentes musici dementantur.* Studium Musices. Numerus numerans.

## Cur phrenesi alijsq; quibusdam morbis laborantes sæpè curantur musicâ?

Q*UIA sicut phrenesis aliiq́ id genus morbi sunt discordes (vt ita loquar) furiæ & intemperies naturæ: ita musica, quæ est naturalis harmonia, arte quadam certisq́ numeris istas furias lenit, humoresq́ discordes auctis & refocillatis spiritibus concordes & amicos reddit. Hinc non est penitùs incredibile dictu, quod A-*

Agripp. de occul. Phi. grippa de Theophrasto & Democrito scribit, quorum ille multos viperarum morsibus ictos, hic plurimos varijs morborum generibus laborantes solo concentu musico liberauit.

## Cur motâ chordâ vnius instrumenti, vnisona chorda alterius & non alia simul moueatur?

QVIA est sympathia idemq́ fundamentum vtriusq. Nam vt inter amicos est talis affectio vt alter alterius malis dolere, gaudere bonis videatur: ita inter chordas vnisonas est mira consensio, quæ æquabiliter moto aere vnanimiter quasi vtramq, mouet, & in vtraq; eundem sonũ & concentũ facit. Mirabilis enim est vis similitudinis in omnibus; nam homo hominem, medicina humorem, adamas ferrum, chorda vnius instrumenti chordam alterius, omne simile sibi finitimum & cognatũ, abditâ proprietate similitudinis mouet.

## Quæ causæ quòd chordæ ex lupi & agni neruis factæ harmonicè non concordent?

NECESSE est (vt ait Agrippa) omnes concentus ex conuenientibus fundamentis procedere, si in vnum velis conuenire. Hinc illud rugientes leones, mugientes boues, grunnientes porci chorum non faciunt; eadem est ratio chor-

dariam, quæ ex agni & lupi fibris aut neruis fiunt. Consonãtiam non habent, quippe res ex quibus finguntur insitum odium habuerunt. Aquila columbam, lupus agnum dum viuunt oderũt, cum moriũtur, illorum plumæ simul cohabitare, horum nerui unà consonare non possunt; ista antipathia & dissidium naturæ inter homicidam & occisum, inter hircinum sanguinem & adamantẽ, inter brassicã & vitim, inter securim & vrticam marinam, aliaq; innumera naturæ opera & effecta cernitur.

Naturæ Antipathia.

## Quomodo vocalis & instrumentalis musica concordare possunt, cum eandem speciem, idem fundamentum non habeant.

TAmetsi instrumenta eandem speciem & symbolum per se non habent, intentione tamen & moderatione humanâ habent; quippe organa & instrumenta musica sic loquuntur, sic sonant, vt animi scienter & peritè illa tractantium iubent. Quare si tuba Taratantara in bello distinctè canat, quo milites ad furorem Martis; cur organa Alleluia in templo non sonent, quo homines ad ardorem pietatis rapiantur: causa ergo non est quin voces & instrumenta simul conspirent, cum vtraq; mentem humanam motricem & moderatricem habeant.

Cur

## Cur syrenibus, hyenis, alijsque quibusdam monstris harmonicas & allectatrices voces natura dedit?

*BVfoni oculum cristallinum, draconi pretiosam gemmam, elephanti dentem saluiferũ, syrenibus & hyenis melodicam vocem ideo natura dedit, vt vel in infimis rebus occultissima dei sapientia eluceret. Præterea vt in syrene & hyenâ est facies humana: ita minus mirandum est si ijs quoque insit humanæ vocis imitatio: nam vt præcipuè hominibus cœlestis modulatio conceditur, ita gerentibus formam & similitudinem hominis dulces voces & concentus sæpissimè concedantur.*

## Quare in altissimis fossis terræ quales sunt in occidentali plaga nostræ regionis soni & concentus sæpissimè audiuntur?

*PER fistulas terræ illapsus aer varijs modis agitatur, nam si meatus angustiores sint, acutam: si ampliores, sonoram: si mediocres, mediam vocem & harmoniam gignunt: halitibus ergo per istas fauces terræ ad numeros agitatis musicus aliquando sonus & concentus nascitur. Si enim in auribus nostris ex motu ingressi aeris tinnitus, si bombitus in apibus audiatur: mirabile non est si per venas terræ insinuans se aer pro varietate sui motus & multiplici ratione meatus*

diuersus

diuersum sonum & concentũ edat, eoq; dulciorẽ aliquando, quò puriora sunt effossa metalla, quæ veluti eccho & reflexum faciunt: nam aurum auream, argentum argenteam, æs & ferrum vocem canoram habent.

## Quare familiares dæmones canere & saltare dicuntur?

DAemonas esse, chorus philosophorum docuit: alios enim posuerunt cælestes, qui sphæras mouent: alios æthereos, qui in aere pendent; terrestres alios, qui in terra mariq; degunt; alios infernos, qui semper in stigio lacu morientes viuunt. Primi ordinis (vt aiũt) dæmones beati sunt, quia intuentes maiestatem primi motoris, suos orbes sine omni molestia & tædio in sempiternum vertunt: reliqui vero fallaces & mali sunt, sed (vt docent) secundum magis & minus: quò enim sunt propinquiores primæ causæ, eò naturâ suâ meliores habentur. Hinc eorum aliqui familiares dæmones nominantur, quippe ludentes lædũt; isti (infernos excipio) siue sint incubi siue succubi, siue alij terrestres spiritus, visi sunt sæpè instar Pigmæorũ vtriusq; sexus saltare, auditi canere, notati infantulos à crepũdijs surripere, aut in amplexibus maternis fascinare, cogniti gazas in abditis locis repositas custodire, quædam domicilia inuisere, mortales in agris, in tectis, in e- Incubi Succubi.

*remis sæpissimè territare. Isti inquã, vt musicâ propter lapsum à prima causa, & declinationem à prima harmonia fugantur aliquando, ita retinentes essentiam suam (quæ proculdubio bona & diuina fuit) musicis numeris & concentibus capiuntur. Hinc formis veluti Pigmeorum susceptis videntur canere & choraas in gyrum lætantes ducere: vel quia retentâ natura sua sic delectantur, vel quia hac specie boni incautos, non aliter quàm syrenes & hyenæ contendãt fallere. Nam vt dulci fistulâ volucres: ita inconsiderati homines frequenter molli & effæminatâ musicâ decipiuntur.*

## Quare cigni ante mortem canunt?

*SI verum sit, quod philosophi docent, nempe omnes rerum omnium essentias à prima causa in constitutione fluere, & ad eandem in dissolutione refluere ac reuocari, ne ens in non ens, aut aliquid in nihilum verteretur: verisimile est albam hanc Iouis auem non improuidam futuræ mortis ante obitum & sepulchrum canere. Præsentiens enim mortem libertatem videt, & videndo illam instinctu quodam naturæ canit. Vnde Poeta.*

Martial. in Xenijs.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ,
Cantator cignus funeris ipse sui.

## Cur laborantes & febricitantes aliquando cantant?

MAgnus labor tædium, mordax humor corporis dolorem parit, vtriusq; remedium & medicina dulcis harmonia dicitur: quippè quæ spiritus reficit, vires auget, naturam totam sibi restituit; cantu leuatur opus, cantu lenitur febris: nam cantantes non sentiunt onus, cantantes ardorem non sentiunt febris: cantu enim refocillantur spiritus, in quibus vitæ conseruatio inest.

## Cur feræ placantur musicâ?

VT phrenetici & insani placatis spiritibus minùs sæuiunt: ita feræ æstum bilis & furoris minùs tùm sentiunt, cùm spiritus furentius agitati, musico concentu leniuntur. Nam vt dispersi & accensi spiritus flammas furori: ita collecti & harmonicè quasi vniti spiritus vires quieti addunt. Præterea vi musices non solùm spiritus in illis, sed etiam humores mirum in modum temperantur, dulciq; motu coguntur in tẽperiem. Hinc verum esse potest quod scribunt maiores, pisces in stagno Alexandriæ concentu musicorum, cygnos hyperborios cytharæ tactu, elephantes Indicos organorum sonitu, tygres, leones, feras modulantium choro & cantu sic capi, vt facilè sine laqueis solùm venantium manibus capiantur.

## Cur apes, auditus non compotes moueantur musicâ, eâdemq; ad examen sæpè reuocantur?

NON solùm aurem sono, sed aereum corpus temperato motu musica harmonia pulsat, capit, moderatur; hinc fit quòd apes aeria animalcula moto ad numeros & agitato aere eô sequantur quô concentus ducit: non quód audiant (nã id negat Arist.) sed quòd aer musicâ & non procellâ motus illas delectabiliter trahat: quippe pulsatâ dulciter membranulâ quam intus habent; ipsæ apes quoque mouentur, motuq; hoc delectatæ, fistulam sequuntur ad examen, in quo, vt ciues, reipub. formam tenent.

## Quomodo somnum conciliat musica?

MVSICA humores, partes, potentias, spiritus, vt anteà ostendimus, temperat & ad quietem cogit, quo facto, mirum non est, si vapores sursum in caput moti nubes fiant, vnde somnus, vnde quies nascitur. Conciliatur tum somnus cum vapores temperato capitis frigore concreti in nebulam commutantur.

## Quomodo musica concoctioné iuuat?

AVCTIS spiritibus ac temperatis, intimus calor pellitur, excitantur vires, corroboratur natura, concoctio melior & celerior redditur, sed musica (vt demonstratum iam satis est) &

auget spiritus, & humores temperat, & fibras, neruos, partes, viresq́; singulas corporis mirabili dulcedine quasi perfundit, vnde concoctio prima, secunda, tertia mirificè adiuuatur. Hinc non inconsideratè nobiles & augusti viri curis reipub. oppressi musicos sæpè accersunt ad mensam, non solùm vt illorum animi liberentur curis, sed etiam vt meliore factâ concoctione illorum corpora sana sine Hippocratis & Galeni pillulis conseruentur.

## Cur musica in templo magis quàm in bello, theatro, domo mentem humanam moueat?

VIS maior est doricæ harmoniæ quàm lydiæ aut alterius cuiusq; generis: dorica enim musica proximè ad cœlestem accedens, vehementiùs animi penetralia pulsat, mentemq́; sursum ad studium pietatis & deuotionis mouet. Nam si locum spectes sacer est, si genus musices sanctum est, si influentiam mira est, si influendi causam religiosa est, si finem planè diuina est. In templo enim est imago cœli, in dorico concentu est contemplatio Dei, in motu & causa est pietas, in fine est salus & beatitudo. Hæ causæ magnæ quidem sunt, cur in templo magis quàm in bello, theatro aut domo mens (musicâ) ad Deum rapiatur: quippe locus sanctitatem, harmonia san-